



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio XLII. De æqualitate & similitudine diuinarum personarum ad
inuicem, in sex articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

non sequitur quod ibi sit tantum una productio. Antecedens probatur; quia idem homo plures producit filios, & vnus sol plures effectus efficit. *Resp.* antec. verum esse de productionibus vniuocis in natura materiali, non autem in natura immateriali qualis est diuina.

solus.

obi. 10.

solus.

Quintò. Naturam determinari ad vnum non est determinari ad vnicam productionem, & vnicum productum, sed non esse indifferentem ad opposita: sed ex hoc non concluditur vnitas productionis vt patet; ergo. *Resp.* falsum esse antec. loquendo de vna productione, & vno producto formaliter secundum vnum modum, vt hic explicat Caiet.

Et ex his patet etiam responsio ad alias cauillationes eiusdem authoris contra aliam rationem allatam ex S. D. quia scilicet fecunditas ordinata ad generationem filij, exhauritur in vnus filij generatione. Dicitur enim exhauriri patris fecunditas in vnus filij generatione, ob supradictas causas; quia scilicet vnicum verbum, & filius adæquat diuinam intellectiōnem & generationem: & quia continet omnem rationem filiationis ob infinitam sui perfectionem &c.

QVÆSTIO XLII.

De equalitate & similitudine diuinarum personarum ad inuicem, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de comparatione personarum ad inuicem.

Et primò quantum ad equalitatem, & similitudinem.

Secundò quantum ad missionem.

Circa primum queruntur sex.

Primò, Vtrum equalitas locum habeat in diuinis personis.

Secundò, Vtrum persona procedens sit equalis ei, à qua procedit secundum eternitatem.

Tertiò, Vtrum sit aliquis ordo in diuinis personis.

Quartò, Vtrum persone diuinae sint æquales secundum magnitudinem.

Quintò, Vtrum vna earum sit in alia.

Sextò, Vtrum sint æquales secundum potentiam.

Ordo articulorum huius questionis.

DISSERIT A. D. in 1. a. de equalitate diuina cōmuniter sumpta, de qua tres definit quæstiones, videlicet an sit, quomodo sit, & quid sit. Deinde quærit in speciali de equalitate secundum eternitatem personarum procedentis, respectu eius à qua procedit: tū quia eternitas est esse Dei vt vniforme quod primò in Deo consideratur: tum etiam quia magis obuia & patetior est difficultas hæc, ijs quæ sequentibus tangebuntur articulis. Tertiò excludo ordine durationis à diuinis personis consequenter quærit de ordine naturæ. Posita namque durationis æqualitate, statim occurrit dubitandum de ordine naturæ, quo vna persona est ab altera; hunc enim ordinem excludere videtur equalitas æternitatis. Et quoniam hoc ordine magnitudinis siue perfectionis equalitas in natura videtur excludi, idcirco quærit in articulo quarto, an filius sit equalis patri secundum magnitudinem. Et quia magnitudo diuinarum personarum est naturæ perfectio, quæ in tribus est vna, & ab vna veluti principio deriuatur ad

aliā, vt dicitur in articulo tertio: & secundū hæc addito etiam relatiuo respectu originem cōsequente vna persona dicitur esse in alia: idem consequenter quærit in articulo quinto, vtrū filius sit in patre, & cōuerso. Postremò quærit de æqualitate secundum potentiam, quæ consequitur essentiæ perfectionem, & magnitudinem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum equalitas locum habeat in diuinis.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod equalitas non competat diuinis personis, equalitas enim attenditur secundum vnum in quantitate, vt patet per Philosophum 5. Metaph. In diuinis autem personis non inuenitur, neque quantitas continua intrinseca, qua dicitur magnitudo: neque quantitas continua extrinseca, qua dicitur locus & tempus: neque secundum quantitatem discretam inuenitur in eis equalitas, quia duæ persone sunt plures quàm vna. Ergo diuinis personis non conuenit equalitas.

2. Præterea. Diuina persone sunt vnus essentia, vt supra dictum est. Essentia autem significatur per q. 39. art. 2. modum formæ. Conuenientia autem in forma non facit equalitatem, sed similitudinem. Ergo in diuinis personis est dicenda similitudo, & non equalitas.

3. Præterea. In quibuscunque inuenitur equalitas, illa sunt sibi inuicem equalia: quia æquale dicitur æquali æquale. Sed diuina persone non possunt sibi inuicem dici æquales. Quia vt Aug. dicit 6. de Trinit. Imago, si perfecte implet illud cuius est imago, ipsa coaquatur ei: non illud imagini sue, imago autem patris est filius. Et sic pater non est æqualis filio. Non ergo in diuinis personis inuenitur equalitas.

4. Præterea. Equalitas relatio quadam est: sed nulla relatio est communis omnibus personis, cum secundum relationes persone ab inuicem distinguantur. Non ergo equalitas diuinis personis conuenit.

Sed contra est, quod Athan. dicit, quod tres persone coeternæ sibi sunt, & coæquales. In suo symbolo fidei.

Respondet dicendum, quod necesse est ponere equalitatem in diuinis personis. Quia secundum Philosophum in 10. Metaph. æquale dicitur quasi per negationem minoris, & maioris. Non autem possumus in diuinis personis ponere aliquid maius & minus. Quia vt Boet. dicit in lib. de Trinit. eos differentia, scilicet licet deitatis comitatur, qui vel augent vel minuant, vt Arriani, qui gradibus numerorum trinitatem variantes distrahant, atque in pluralitatem deducunt. Cuius ratio est: quia inequalium non potest esse vna quantitas numero. Quantitas autem in diuinis non est aliud quàm eius essentia. Vnde relinquatur, quod si esset aliqua inequalitas in diuinis personis, quod non esset in eis vna essentia. Et sic non essent tres persone, vnus Deus. Quod est impossibile. Oportet igitur equalitatem ponere in diuinis personis.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est quantitas, vna scilicet qua dicitur quantitas modis, vel quantitas dimensionis, qua in solis rebus corporalibus est. Vnde in diuinis personis locum non habet. Sed alia est quantitas virtutis, qua attenditur secundum perfectionem alicuius naturæ, vel formæ. Quæ quidem quantitas designatur secundum quod dicitur aliquid magis vel minus calidum, in quantum est perfectius vel minus perfectum in tali caliditate. Huiusmodi autem quantitas virtualis attenditur primò quidem in radice, id est in ipsa perfectione formæ, vel

711

natura, & sic dicitur magnitudo spiritalis: sicut dicitur magnus calor propter suam intensionem & perfectionem. Et ideo dicit August. * 6. de trin. quod in his quæ non mole magna sunt, hoc est, maius esse quod est melius esse. Nam melius dicitur quod perfectius est. Secundum autem attenditur quantitas virtualis in effectibus forme. Primus autem effectus forme est, esse. Nam omnis res habet esse secundum suam formam. Secundus autem effectus est operatio. Nam omne agens agit per suam formam. Attenditur igitur quantitas virtualis, & secundum esse, & secundum operationem. Secundum esse quidem, in quantum ea quæ sunt perfectioris nature, sunt maioris durationis. Secundum operationem verò, in quantum ea quæ sunt perfectioris nature, sunt magis potentia ad agendum. Sic igitur, vt Aug. * dicit in lib. de fide ad Petrum. Aequalitas intelligitur in patre & filio & Spiritu sancto, in quantum nullus horum aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.

* ca. 1. ante med. 10. 3.

Ad secundum dicendum, quod ubi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtutalem, æqualitas includit in se similitudinem, & aliquid plus: quia excludit excessum. Quicunque enim communicant in vna forma, possunt dici similia, etiam si inæqualiter illam formam participant, sicut si dicatur aer esse similis igni in calore. Sed non possunt dici equalia, si vnum altero perfectius formam illam participet. Et quia non solum vna est natura patris, & filij, sed etiam æque perfectæ est in vtroque: ideo non solum dicimus filium esse similem patri, vt excludatur error Eunomij, sed etiam dicimus æqualem, vt excludatur error Arii.

s. 9. a med.

Ad tertium dicendum, quod æqualitas vel similitudo dupliciter potest significari in diuinis, scilicet per nomina, & per verba. Secundum quidem quod significatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in diuinis personis, & similitudo. Filius enim est equalis, & similis patri, & conuerso. Et hoc ideo: quia essentia diuina non magis est patris, quam filij. vnde sicut filius habet magnitudinem patris, quod est esse eum æqualem patri: ita pater habet magnitudinem filij, quod est esse eum æqualem filio. Sed quantum ad creaturas (vt Dionys. * dicit 9. cap. de diu. no.) non recipitur conuersio æqualitatis, & similitudinis. Dicuntur enim causari similia causis in quantum habent formam causarum, sed non e conuerso, quia forma principaliter est in causa, & secundario in causato. Sed verba significant æqualitatem cum motu. Et licet motus non sit in diuinis, est tamen ibi accipere. Qui igitur filius accipit a patre, vnde est equalis ei, & non e conuerso, propter hoc dicimus quod filius coequalis patri, & non e conuerso.

Ad quartum dicendum, quod in diuinis personis nihil est considerare nisi essentiam in qua communicant, & relationes, in quibus distinguuntur. æqualitas autem vtrumque importat, scilicet distinctionem personarum (quia nihil sibi ipsi dicitur equalis) & unitatem essentia, quia ex hoc personæ sunt sibi inuicem æquales, quia sunt vnus magnitudinis & essentia. Manifestum est autem, quod idem ad seipsum non refertur aliqua relatione reali. Nec iterum vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem. Quia vtroque modo relatio multiplicaretur in infinitum. Et ideo æqualitas & similitudo in diuinis personis non est aliqua realis relatio distincta a relationibus personalibus sed in suo intellectu includit & relationes distinguentes personas, & essentia unitatem. Et propterea magister dicit in 31. distin. primi sent. quod in his appellatio tantum est relatio

Sensus quæstii.

EX DIC TIS circa ordinem articulorum patet sensus quæstii, quod sub forma quæstionis an est, aliarum duarum quæstionum materiam proponit, vide licet quomodo est, & quid est, & in responcionibus ad argumenta definit.

Forma Textus.

CONCL. est. Neceffe est ponere æqualitatem in diuinis personis. Probatur. Aequale dicitur quasi per negationem maioris & minoris: At non possumus ponere in diuinis personis aliquid maius & minus; ergo necesse est ponere æqualitatem in diuinis personis. Maior probatur ex Aristot. 10. Metaph. tex. 19. Minor autem probatur primo ex Boet. in lib. de Trinit. dicente eos differentia &c. Secundò ratione; quia, si esset aliqua inæqualitas in diuinis personis, non essent tres personæ vnus Deus: at hoc est impossibile: ergo. Probatur assumptum; quia si esset aliqua inæqualitas in diuinis personis, non esset in eis vna essentia; ergo non essent vnus Deus. Antecedens probatur: quia inæqualium non potest esse vna quantitas numero: at quantitas in diuinis non est aliud quàm eius essentia; ergo, &c.

Expositio Textus.

ADVERTE primò conclusionem esse de fide, vt late probant hic recentiores, ac præsertim Ban. Zúmel. disp. 1. Mag. Porr. Mol. & Suar. lib. 2. de Trin. c. 15.

Secundò observa dictionem illam quasi positam in maiori; significat enim solam negationem excessus, non sufficere ad æqualitatem constitutendam, sed quantitatem esse necessariam in extremis, quæ dicuntur equalia. Nam, vt hic aduertit Cai. punctum neque maius est neque minus linea, cum nullam habeat quantitatem, nec tamen est æquale ob eandem causam, quia nimirum caret quantitate.

Tertio lege si placet, quæ late scribit Mol. disp. 1. de multiplici ratione quantitatis, quibus explicatur responso S. D. ad primum.

Quarto circa responciones ad secundum, & tertium vide, quæ notat hic Cai. pro earum defensione aduersus Aureolum: & Torres, in 2. p. comm. de relatione similitudinis, de qua multa diximus supra cum D. Thom. & Cai. quæst. 4. art. 3.

Eisdem responciones explicant hic Mol. disp. 2. & Vasq. cap. 5.

CONTROVERSIA VNICA.

An æqualitas, similitudo & identitas, sint relationes reales in diuinis.

SCOTVS in 1. dist. 31. q. 1. & in quolib. q. 6. docet prædictas omnes relationes inter diuinas personas esse reales. Cuius sententiam late refert & tuetur Rada controu. 26. Comprehen-ditur autem eius sententia nouem propositionibus. Prima. Fundamentum remotum æqualitatis in diuinis est ipsa magnitudo, vel essentia, vel sapientia & similia: proximum verò est vnitas eiusdem magnitudinis, non qualif-cunque, sed numeralis. Secunda. Ad relationem

Sententia Doctorum.

Ec 2

rea-

realem tria sufficiunt: Primum vt fundamentū sit reale & terminus realis: secundū vt extrema sint realiter distincta: tertiū vt ex natura extremorum & fundamenti sequatur ipsa relatio absque opere intellectus. *Tertia eius propositio.* Aequalitas & similitudo præexigunt extrema realiter distincta. *Quarta.* Aequalitas diuina in suo conceptu formali, nec includit essentia, nec relationes originis, licet importet essentia fundamentaliter, relationes verò originis personales præexigunt. *Quinta.* Aequalitas importat in suo conceptu relationem aliquam alterius rationis à relationibus originis, secundum quam personæ constitutæ per relationes originis referuntur. *Sexta.* Aequalitas, similitudo & identitas, quæ est in diuinis inter diuinas personas, est ibi ex natura rei; & est realis relatio inter personas. *Septima.* Aequalitas, qua pater est æqualis filio, re ipsa distinguitur ab æqualitate, qua filius dicitur æqualis patri. *Octaua.* Iste relationes communes non distinguuntur realiter à relationibus originis, sed solum formaliter; & similiter nec inter se, loquendo de illis quæ sunt in eadem persona. *Vltima propositio.* Relatio æqualitatis inter diuinas personas, quæ in æternitate fundatur vel in potestate, non est realis sed rationis.

Aur. apud Capr. tria dicit. *Primum.* Aequalitas aut similitudo non fundatur super unitate quantitatis, aut qualitatis in creaturis. *Secundum.* Prædictæ relationes non sunt reales. *Tertium.* Aequalitas diuinarum personarum est relatio realis.

Dur. eadem diff. quamvis neget æqualitatem in diuinis esse relationem realem, affirmat tamen in creaturis esse realem.

Torr. in 3. par. commentarij affirmat relationes rationis, quamvis esse non possint sine ordine ad intellectum, esse tamen seclusa actu operatione intellectus creati: Et addit æqualitatem, qua filius est æqualis Patri & Spiritui S. esse quendam modum intellectualem, à quo denominatur eisdem æqualis: quo quidem modo sic se habet, vt possit concipi per istum conceptum relatiuum, æquale verò supponentem pro ipso ordine ad patrem & Spiritum sanctum & hunc modum esse extra intellectum. Quod idem affirmat de similitudine. Quam sententiam vt probabilem complectitur Mol. diff. 2.

S. Th. quem vniuersi sequuntur expositores, nedum nostrates, sed etiam extranei, negat hic & ubique relationes prædictas esse reales.

Resolutio.
Diff. & relationes in diuinis non esse reales ostenditur ex communi ratione fundamenti relationis realis, ex propriatione æqualitatis, ex conditionibus relationis realis, & ex fundamento æqualitatis in diuinis.

TAME T S I cōmunis illa relationis doctrina, quam tradit Arist. & explicant eius expositores in 5. Metaph. c. de ad aliquid, sit à nobis in hac Theologica questione supponenda: necesse tñ erit quatuor præcipua capita propositæ controuersie definitioni necessaria summa breuitate perstringere.

Primum est, quamlibet realem relationem formaliter sumptam præexigere causam, siue rationem in subiecto, ex quo dependeat, & naturali consecutione resultet posito in rerum natura termino, siue re naturalem ordinem ad eam habente, quæ relatione refertur; exempli gratia, albedo niuis causa est, ex qua naturali sequela resultat in niue relatio similitudinis ad albedinem lactis, posita siue existente lactis albedine cū suo subiecto. Hæc vero relationis causā cōmuniter appellat fundamentū: Nā sicut ex eo nascitur, ita proximè in eo recipitur relatio, & eo durante manet, ac trāseunte deficit. Nō est ita

omnino per se sufficiens hoc fundamentum, vt in re constituatur relatio: sed quædam in singulis relatiuorum modis conditiones sunt apprimè necessariae, vt in similitudine conuenientia, siue vnitas extremorum formalis & specifica: in æqualitate vnitas, i. nō excessus secundum quantitatem: in paternitate & filiatione generatio & natiuitas: quas condiciones improprie satis quidam appellant rationes fundandi; cum nullam videantur habere causalitatem, qualem importat ratio, nisi fortè generatio & natiuitas respectu paternitatis & filiationis, non in facto esse, sed tantum in fieri. Propter quod fundamenta nuncupantur à D. Th. sup. q. 28. a. 4.

Secundo obseruandum est ex D. Th. 1. d. 31. q. 1. ar. 7. de æqualitate dupliciter nos loqui posse. Vno modo quo ad unitatem quantitatis, quæ causa est æqualitatis, (scilicet vt conditio causæ) & sic ratio eius consistit in priuatione, sicut & ratio unitatis. Quod expresse docet Arist. 10. Metaph. tex. 19. dicens, Est itaque æquale, quod neque magnum, neque paruum, & aptum natum est magnum, & paruum esse, & opponitur ambobus, vt negatio priuatiua. Si verò consideretur æqualitas quantum ad relationem: sic æqualitas in creaturis aliquid realiter ponit in vtroque extremorum, sed in diuinis personis nihil, nisi secundum rationem. Quod idem dicendum videtur de similitudine & identitate; horum enim omnium fundamenta necessariò postulant unitatem, vt ait Philosophus in 5. Metaph. in cap. de ad aliquid. Hæc enim (inquit) secundum vnum dicuntur omnia: eadem namque, quorum est vna substantia: Similia verò, quorum qualitas est vna: æqualia verò, quorum quantitas est vna. Ad cuius textus intelligentiam sciendum est, substantiam dupliciter sumi posse. Vno modo strictè & proprie, prout dicit ens per se, distinctum contra ens in alio, vt in subiecto. Alio modo latè & minus proprie sumitur substantia, pro essentia cuiuscunque rei, vt ait S. D. in 1. diff. 25. q. vnica, a. 1. ad 7. & alibi sæpe. Nomen etiam quantitatis dicitur proprie de quantitate molis, siue dimensiua: minus verò proprie de quantitate virtutis: quæ multiplex est, vt hic aduertit S. D. ad 1. & in 1. diff. 19. q. 3. a. 1. & alibi.

Denique nomen qualitatis quatuor modis dicitur, vt ait Philos. in 5. Metaph. c. de qual. Ex quibus duo sunt præcipui: primus quo sumitur quale pro differetia substantiæ: secundus, quo passionibus substantiarum vsu cōmuni dicuntur qualitates, vt calor & frigiditas, albedo & nigredo, grauitas & leuitas, & quæcunque talia, secundum quæ dicuntur permutari corpora, & virtus, & vitium, & bonum, & malum, quæ passionibus quædam sunt, vt ibidem ait Philosophus. Cum autem prædicta tria latè sumpta cuilibet enti conueniant (habet enim qualibet res essentiam, virtutem, & differentiam) sequitur etiā in quolibet ente alicui alteri cōparato posse reperiri tres supradictas relationes, videlicet identitatem, æqualitatem & similitudinem: quæ tamen non erunt transcendentes, vt affirmat Rada, sed in ad aliquid prædicamento conclusæ. Non enim consequuntur hæ relationes ad rationem entis, quatenus ens, sed quatenus tale ens contentum in tali specie, puta hominis, vel albi, aut bicubiti.

Cum autem in diuinis triplex consideretur quantitas virtutis, vt ait hic ad 1. S. D. & in 1. diff. 19. quest. 3. a. 1. scilicet secundum naturæ complementum, quæ est magnitudo: secundum perfectionem ipsius esse, quæ est æternitas: & secundum

Rada diff. reijciunt.

dup.

dum perfectionem ad opus, quæ est potentia A operatiua, ut ibi declarat S. D. (quam doctrinam extendit Rada in dicta controu. a. 2.) sequitur in Deo triplex esse fundamentum æqualitatis, nimirum essentiam, æternitatem & potentiam.

Relationis velu due conditiones. Tertia notanda sunt diligenter duæ conditiones relationis realis ex D. Th. & Cai. circare-
spons. ad 4. Prima verò est, ut fundamenta sint in extremis abinuicem distincta realiter. Cuius rationem affert D. Th. quoniam idem ad seipsum non refertur relatione reali. Ut autem hic aduertit Cai. fundamenta sunt, quæ primò referuntur; Nā esse æquale primò conuenit quāto, rei verò substrata, vel coniuncta non conuenit, nisi ratione quanti: sicut albedini primò conuenit disgregare, subiecto verò ratione albedinis. Vbi aduerte æqualitatem primò conuenire quanto, non tantum ut quo, siue ut ratio est & causa æqualitatis, sed etiam ut quod per se primò denominatur æquale; non minus enim æqualitas conuenit quantitativis sub abstractione Mathematica consideratis, quam eisdem sensibili materiæ concretis; diffinit enim Mathematicus triangulum esse figuram tres angulos habentem æquales duobus angulis re-
ctis; & multiplicem considerat inter lineas, superficies, & figuras, æqualitatem, ut patet in Euclide. Nec tamen dicimus omnia fundamēta referri ut quod; scimus enim in reatiuis secundis modi, quæ scilicet habent fundamentū in actione vel actiua potentia, hæc nunc dicta fundamenta non referri, nisi ut rationes sunt siue causæ referendi; non enim potentia generatiua Petri, aut eius actio qua generat Paulum, refertur relatione paternitatis ad Paulum, aut ad aliquid existens in Paulo, tanquam pater ad filium: sicut linea refertur ad lineam, & figura ad figuram relatione æqualitatis, & primò denominatur æqualis: & similiter albedo refertur ad albedinem relatione similitudinis, & primò dicitur similis: Itaque fundamenta sunt, quæ primò referuntur, saltem ut rationes referendi, ac proinde non erit inter ea, nec inter extrema, quorum sunt fundamēta, relatio realis, nisi fuerint distincta realiter.

Dist. tur. Ex quo sequitur Turrian. & Zumel. contra-
viani, & Zuvelli: reijci-
tur. mentem A. D. concessisse Scoto vnam numero albedinem quibus subiectis (si fieri possit) in-
hærentem, causam esse sufficientem realis inter ea similitudinis relationis. Ratio verò quam affert Torres est leuissima; ait enim futura tunc diuersa alba, perinde ac si haberent diuersas albedines: at si diuersas haberent, vtriusque similitudo esset realis; ergo in data hypothesi est realis. Resp. enim futura tunc duo alba tantum adiectiue, & ideo non æquivaleret prorsus vnica albedo duabus: Nam cum fundamenta sint, quæ primò referuntur, & vnus ad seipsum non sit relatio realis, non erit vnus albedinis existentis in vno subiecto ad seipsam alteri etiam inhærentem subiecto realis relatio: quāvis hoc ipso, quod inhæret vtrique, denominaret vtrumque album & esset duo alba adiectiue.

Falsq. obie- Nec obstat id, quod obijcit Valsq. relationes
tio diluitur. secundi generis fundari in vna & eadem actione, ut relationes paternitatis & filiationis in eadem generatione, & non in potentia ad actum redacta. Nam etsi ratio, siue conditio fundamenti huiusmodi relationis sit actio, proprium tamen earum fundamentum est potentia, cum relicta dispositione vel habitu, quan-

do post actionem denominatur subiectum relatiue, ut contingit in subiectis paternitatis & filiationis: secus autem cum nulla relinquatur denominatio, ut inter mouens & motum; nam cessante motu definit esse relatio mouentis ad mobile, ut actu motum: & vniuersaliter actione cessante definit esse relatio agentis ad passum. Ut enim ait Philof. 2. Physic. tex. 37. & 5. Metaph. in cap. de causa in fine. Agentia singularia simul sunt, & non sunt cum his, quorum sunt causæ, ut hic edificator cum hoc edificio. Videntur est S. Thom. in 1. dist. 8. quæst. 1. a. 5.

Sed præterea falsum est relationes patris & filij in vna patris generatione fundari. Nā, ut superius ostendimus q. 25. a. 1. actio est in agente realiter à passione, quæ recipitur in patiente distincta: atque ideo sunt duæ rationes distinctæ realiter, siue conditiones in duobus dictarum relationum fundamentis. Quæ verò Zum. aduersus hanc partem obijcit argumenta, diluentur inferius.

ALTERA conditio est, ut relationis fundamentum non sit alia relatio. Cuius rationem affert S. D. quia sic relatio multiplicaretur in infinitum. Vnde (inquit) cum dicimus paternitatem opponi filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem & filiationem. Hæc conditio, ut hic aduertit Caiet. non tollit realitatem à relationibus, sed earum distinctionem à fundamentis. Ut enim iam dictum est cum D. Th. oppositio paternitatis & filiationis non est relatio media, sed idem est quod paternitas & filiatio, quæ seipsis opponuntur relatiue, sicut & quælibet alia correlatiua.

Ad cuius evidentiam aduerte primò duplices in relationibus, puta paternitate & filiatione creata, posse fundari respectus. Sunt enim quidam in ipsis relationibus intime clausi, ut oppositio & distinctio siue diuersitas paternitatis & filiationis, à quibus non sunt hæ relationes etiam per primam operationem intellectus separabiles; Nam de ratione relationum adinuicem relatarum est oppositio, quæ distinctionem intime claudit. Et de his respectibus videntur hic loqui D. Thom. & Cai. quamuis enim reales sint, non tamen realiter distinguuntur à relationibus, quæ secundum suas rationes eos intrinsecè claudunt: Paternitas enim seipsa opponitur filiationi, & ab ea distinguitur, & e contra; alioquin procederetur in infinitum: ut exempli gratia, si paternitas opponeretur filiationi per superadditam realem relationem, & oppositio paternitatis distingueretur realiter ab oppositione filiationis per aliam superadditam relationem, quæ esset distinctio: oporteret etiam distinctionem opponi distinctioni alterius extremi per aliam superadditam relationem, cuius oppositionis extrema distingueretur realiter per aliam superadditam relationem, & sic in infinitum. Quidam alij sunt respectus, qui præexistentibus accidunt relationibus, & ab eis diuersos habent terminos, ut similitudo vnus paternitatis ad aliam; de quibus eadem est ratio, ut ex dicendis apparabit.

Secundò aduerte fundamentum omne relationis respicere subiectum, quod relatiue denominatur & refertur, & relationem velut effectum ex eo promanantem & in eo receptum: Relatio verò etiam realis, ut relatio realis est, id est, prout dicitur ad reale, nec respicit subiectum in quo est, nec vim habet productiuam, & multo minus alterius entitatis receptiuam;

Ee 3

respe-

Ratio diuer-
sa relatio-
nis, & fun-
damenti.

respectus enim vt sic etiam realis importatus, A
exempli gratia nomine paternitatis formaliter
sumptæ, hoc ipsum quod est, ad alterum est,
videlicet correlatiuum, qui est filiatio, vt cor-
relatiuum est formaliter. Vis autem producti-
ua productum respicit vt effectum: receptiua
verò receptibile respicit, sicut potentia pro-
prium actum, quæ secundum se conuenire re-
lationi nullo modo possunt; cum ex omnibus
entibus ad predicamenta redactis relatio sit vl-
timum adueniens substantiæ, vt alibi docet S.
D. Non esset autem ultimum relatio ex sui ra-
tione formali, si ex relatione reali pullularet al-
lia relatio, & reciperetur in ea; oportet enim
id omni relationi conuenire, quod rationem B
formalem relationis comitatur.

Ex his sequitur primò, nò solum respectus præ-
dictos in relationibus intimè clausos non esse
realiter ab ipsis relationibus distinctos, sed nec
etiam eos respectus, qui sunt ad alios terminos,
& præexistentibus accident relationibus, vt
respectus similitudinis vnus paternitatis ad al-
liam: cuius oppositum absque sufficienti ratio-
ne docet Suar. *disp. Metaph. 47. sectione 11. nu. 5.*
& sequentibus, cuius argumentis satisfiet infe-
rius.

Suar. *reijci-
tur.*

Molina. *g.
pin. reijci-
tur.*

Sequitur secundò oppositionem in ratione re-
lationis realis inclusam esse realem, vt hic af-
firmat Cai. quod tamen negat Mol. quem se-
quitur quidam modernus Thomista; nullum
enim ens reale claudit in sui ratione ens ratio-
nis in recto, vel tanquam genus, aut commune
prædicatum, cuius sit ens reale pars subiectiua.
Constat autem oppositionem de mutuo relati-
uo respectu, veluti genus, aut generis instar
prædicati, vt patet ex Arist. in *post. prædicam. ca-
pite de oppositis*. Et confirmatur hæc veritas, quo-
niam sola realis oppositio realem efficit distin-
ctionem relatiuam; omnis enim distinctio fit
per extremorum oppositionem, & qualis est
oppositio, talis est eorum distinctio. Quamob-
rem SS. Patres, Concilia & Scholastici doctores
affirmantes solam oppositionem relatiuam in
diuinis distinguere, de reali, non verò secun-
dum rationem tantum oppositione sunt intel-
ligendi. Et non leuem existimo lapsum contra
fidei veritatem, solam confiteri rationis oppo-
sitionem inter diuinas relationes & realem ne-
gare. Hoc enim dicendi modo Sabellianus er-
ror, non occultè solum & tacitè, sed palam &
ore pleno reuocatur ab inferis.

Relationis
rationis qua
tenor modi
ex Capr.

Quartò Sciendum est ex Capr. in dicta *dist. 31.*
ad argumenta Aur. contra secundam partem tertiæ
concl. quatuor esse modos relationis rationis.
Quedam enim est (inquit Capr.) cuius nullum ex-
tremum aut fundamentum est actu in rerum natu-
ra: Quedam verò cuius extrema sunt actu in
rerum natura, sed non realiter distincta: Que-
dam verò cuius extrema sunt realiter distin-
cta, sed non possunt fundare relationem rea-
lem: Quedam denique cuius extrema possunt fun-
dare relationem realem, sed non adinuicem: Exem-
plum primum, vt prioritas præteritorum ad futura: Exem-
plum secundum, vt identitas sortis ad se: Exemplum
tertium, vt oppositio quæ est inter duas relationes: Exem-
plum quartum, vt relatio scibilis ad scientiam. Hæc
ibi Capr. Vbi aduerte, non esse mentem Capr.
oppositionem omnem relationum esse ratio-
nem rationis, sed eam tantum cuius fundamen-
ta non sunt realiter distincta, vt patet in simi-
litudine & æqualitate diuinarum personarum, & eã
quæ aliã supponit oppositionem, & non est inter
eadem extrema, aut eiusdem rationis est cum re-

latione, quæ supponitur vt eius fundamentum,
vt duarum similitudinum similitudo. De mo-
dis relationum rationis nonnihil diximus supra
q. 13. a. 7. legendus est D. Th. de pot. *q. 7. a. 11.*

Quare noua est phantasia Turriani in 3. parte
comm. & Mol. *disp. 1.* dicentium, quoties adest
fundamentum & ratio fundandi relationem ra-
tionis, illam esse simpliciter & formaliter in ob-
iecto, seclusa alia operatione intellectus, non
autè eas quæ pèdènt ab operatione intellectus
tanquam à ratione fundandi: vt pendent illæ,
quæ secundæ intentiones vocantur. Ad prioris
generis relationes dicunt pertinere diuinarum
personarum æqualitatem & similitudinem. Sed
hæc vana sunt omni prorsus soliditate destitu-
ta. Nam vt diuine personæ verè sint & propriè
dicantur æquales ac similes, sufficit vnitas essen-
tiæ & personarum distinctio, vt paulò post di-
cemus cum Cai. Et præterea implicat ratio-
nem rationis esse sine actu rationis.

Turriani
& Molina
opi. reijci-
tur.

Quintò considerandum est æqualitatis diuinæ
fundamentum esse vnitatis essentiae, siue essen-
tiam vt maximè vnā, atque ideo iuxta prædi-
cta diuinarum personarum æqualitas nò potest
esse relatio realis.

Fundamen-
tum æquali-
tatis diuinæ.

Ex quo sequitur falsam esse eorum opinionem,
qui dicunt relationes Paternitatis & filiationis
in essentia vel in actu essentiali intellectus ha-
bere fundamentum: sicut enim non posset realis
inter eas esse distinctio. Fundatur igitur Pater-
nitas in actu notionali, qui est dicere siue in-
telligere exprimèdo, vel generare; Filiatio ve-
rò in ipso generari siue dici vel nasci; Nam et si
actus prædicti sint verè & realiter relationes,
sunt tamen verè & realiter actus, & ad modum
actus concipiuntur; & quamuis, vbi fundamen-
ta relationum aliter distinguuntur, quàm rela-
tiuè, distinctæ relationes requirant fundamen-
ta prius, & aliter distincta, quàm per relationes;
vbi tamen fundamenta relationum non sunt ali-
ud à relationibus, nec distinguuntur nisi re-
latiue, non oportet fundamenta prius natura
distingui, quàm relationes distinguantur, sed
relationes distinguunt sua fundamenta, vt ait
D. Capr. in *ca. finem q. prædictæ* ex D. Th. de pot. *q. 8. a. 3. ad 12.* & supra *q. 40. a. 2. ad 4.* itaque dis-
tinctio generationis, & natiuitatis per eas ipsas
fit relationes, quarum sunt fundamenta.

Fundamen-
ta paterni-
tatis, & fila-
tionis disti-
na.

Sed præterea dici potest relationes distinguen-
tes generationem & natiuitatem idem esse rea-
liter quod paternitas & filiatio, sed ab eis ratio-
ne distinguuntur; & prius esse easdè relationes, qua-
tenus concipiuntur vt distinguentes origines,
quàm vt intelliguntur sub ratione paternitatis
& filiationis; vt enim distinguunt origines siue
actus, sunt formaliter ordines inter ipsos actus,
qui sunt generatio & natiuitas, nec aliquo spe-
ciali gaudent nomine, sicut habent speciale no-
men, cum considerantur vt tales relationes in
dictis actibus fundata, quæ sunt paternitas & fi-
liatio, quibus Pater & filius distinguuntur ab-
inuicem; Quamuis igitur sint idem secundum
rem paternitas & ordo generationis ad natiui-
tatem, & similiter filiatio sit eadem cum ordi-
ne natiuitatis ad generationem, prius tamen
modo nostro intelligendi concipiuntur hæ re-
lationes, vt ordines originum eas distinguen-
tes, quàm sub ratione paternitatis & filiationis:
Cum itaque dicit S. D. & post eum Capr. &
Caiet. Diuinas relationes secum ferre sua fun-
damenta & eorum distinctionem, intelligen-
dum est de relationibus diuinis secundum
rem; quod autem modo dicimus, accipiendum
est

Diffini. B.
Th. Explicat.
tur.

est quoad easdem relationes sub diuersa ratione conceptas.

Defect. Zumel. Val. & Molina. Et ex his patet primò lapsus Zumel. dicentis prædictas relationes fundari in actu essentiali intellectus, qui vnus est in patre & filio.

Secundò Val. Mol. & alios non plenè satisfecisse propositæ difficultati, de fundamento diuinarum relationum.

Aequalitas in diuinis dupliciter. Postremò obseruandum est cum Cai. æqualitatem in diuinis dupliciter sumi. Vno modo formaliter, id est, vt relatio est: & sic relatio rationis est, nec habet esse, nisi per opus intellectus. Alio modo fundamentaliter quo ad ea, quæ necessariò præexiguntur in diuinis, vt concipiatur in eis relatio æqualitatis, hæc verò sunt vnitas essentialis, & distinctio personarum: & secundum hanc rationem æqualitas realiter est in diuinis ante omne opus intellectus, sicut in eis vna est essentia, & personæ distinctæ: quemadmodum etiam nullo intellectu considerante patet est idem sibi ipsi realiter, cum tamen relatio identitatis non sit realis sed rationis. Aequalitas autem hæc fundamentalis, cum essentiam & eius vnitatem includat, perfectio simpliciter est, non ratione vnitatis formaliter, quæ negatio est diuisionis, sed ratione essentialis: sicut vnum ratione entitatis potest esse perfectio simpliciter, non autem ratione vnitatis formaliter, id est ratione indiuisiōis, quæ negatio est. Aequalitas autem formaliter, cum sit relatio & ens rationis, nullam potest dicere perfectionem.

Quod sint rationes, & qualitas in diuinis. Torresin 4. parte Comm. recenset numerum relationum æqualitatis & similitudinis, vsque ad viginti secundum Scotum, secundum nos verò vsque ad octo.

Conclusio nos, deducit & probat. PRIMA CONCL. Vt sit realis relatio, necesse est fundamenta distinguere realiter, & vt eadem non sint relationes.

SECUNDA CONCL. Oppositio relationis realis est realis relatio, quamuis non sit realiter ab ea distincta.

TERCIA CONCL. Nulla potest esse relatio rationis absq; opere intellectus, nisi fundamentaliter.

QUARTA CONCL. Aequalitas similitudo & identitas diuinarum personarum, non est relatio realis ob eam causam, quia non habet fundamenta distincta realiter.

CONTRA primam concl. sunt argumenta relata & soluta à Capr. in dicta distinct. & Cai. & alijs Super hoc a. Argumenta verò Suar. contra secundam partem eiusdem concl. facilem habet solutionem.

Obi. contr. 2. concl. CONTRA secundam concl. argumentatur Mol. Relatio patris ad filium est inæqualis comparisonis; relatio verò oppositionis quæ inter vtramque personam cernitur, est æqualis comparisonis, eo quòd oppositum relatiuo opposito relatiue sit oppositum: At relationes æquales & inæquales comparisonis non possunt esse eiusdem speciei, nedum eadem prorsus relatio; ergo. Resp. minorem esse falsam in ijs relationibus, quarum vna intrinsecè clauditur in altera, vt in proposito. Nam, vt ante diximus, relatio oppositionis intrinsecè clauditur in ratione paternitatis & filiationis, & omnis relationis, vt commune superius in inferioribus partibus subiectiuis: sicut animal in homine & leone. Secundò dico relationes illas distinguere formaliter, sed quandoque esse idem realiter.

CONTRA tertiam concl. agit motiua quædam friuola Turrianus, quibus tantum probat

esse posse relationem rationis fundamentaliter absque opere intellectus.

CONTRA quartam conclus. sunt argumenta Scoti & Aureoli apud Capr. ab eo soluta, ex quibus præcipua referuntur hic & soluantur à Cai. & alijs. Eadem argumenta frustra profert Rada. Contra eandem concl. quoad secundam eius partem continentem causam propter quam non sit æqualitas relatio realis, argumentatur Zumel. Primò. Fundamentum relationis verbi in nobis est actio intellectus, qua producit; igitur in Deo fundamentum relationis verbi est actio intellectus paterni; sed actio intellectus in Deo reipsa est eadem cum actione intelligendi essentiali in omnibus personis; ergo & relatio realis habet idem fundamentum secundum rem. Declaratur & confirmatur hoc. Quoniam relationes originis sunt reales in diuinis, & tamen fundamentum earum non est distinctum ex natura rei in extremis; quia illud est essentia seu potentia generandi; ergo. Resp. falsum esse antec. Nam proximum fundamentum relationis verbi ad dicentem in nobis est ipsum verbum, quod in nobis non est relatio, sed qualitas absoluta. Secundo dico, actionem intellectus diuini, in qua fundatur relatio ad verbum, esse notionalem modo superius expresso, & potentiam generandi non esse essentialem, sed propriam personæ patris. Relatio verò verbi ad dicentem, siue filij ad patrem, fundatur in passiua generatione. Vnde ad confirm. negatur fundamenta relationum originis non esse distincta realiter, hæc enim sunt origines actiue & passiue, quæ distinguuntur realiter.

Sed hanc respons. sic arguit Zumel. Primò. Origines non sunt fundamenta, sed vt plurimū sunt rationes fundandi; ergo. Secundò Relationes illæ sunt subsistentes; ergo non indigent ratione fundandi eas præcedente. Tertiò. In Deo origines non distinguuntur realiter, nec inter se, nec ab essentia, nisi in relationibus quas connotant, quæ sunt illæ de quibus nunc querimus fundamentum. Vltimò. Vel origo fundat ratione absoluti, vel ratione respectiui: Non ratione respectiui; ergo ratione absoluti: Sed illud absolutum est idem in omnibus personis; ergo ex hoc sequeretur, quòd relationes omnes diuinæ sint relationes rationis, quod est contra fidem. Resp. ad primum nullam esse consequ. Deinde negatur antecedens in actionibus immanentibus, quæ simul durant cum relationibus ad eas consequentibus. Ad secundum negatur consequ. si loquamur formaliter, & secundum modum nostrum intelligendi in fundamentum habente. Diuina enim intelligimus ad modum rerum creaturarum: quamuis secundum se consideratæ diuinæ relationes nullo indigeant fundamento, vt sæpè docet S. D. sed ferant secum sua fundamenta. Ad tertium negatur relationes, quibus distinguuntur origines esse illas formaliter, quæ fundantur in eis; distinguuntur enim formaliter modo superius expresso, quamuis sint idem cum eis realiter. Ad vltimum dico origines fundare relationes ratione suæ integræ rationis, quæ dicit absolute in recto, & relationem in obliquo: ita vt absolutum sit ratio fundandi præcipua, relatio verò secundaria vel conditio necessaria.

CONTRA eandem partem argumētatur Rada. Actus notionales secundum rem, & secundum

dum proprias rationes formales sunt relationes à relationibus diuinis formaliter minime distinctæ. Ergo relationes non fundantur super actus notionales. Antec. probatur. Quia generatio à parte rei formaliter est paternitas. Conseq. verò probatur. Quia tunc in seipsis relationes fundarentur. Resp. falsum esse antec. vt ostendimus in q. proximè precedente a. 1. Ad probationem negatur antecedens.

Solut.

Obi. 3.

Solut.

Secundo. Actus ipsi notionales sunt relationes, quarum fundamentum sola essentia potest constitui, quæ ob sui infinitatē relationes originis oppositas fundare potest. Ergo relationes originis fundantur in ipsa essetia. Resp. falsū esse antec. formaliter loquendo. Quod si quæras fundamentum illius relationis quam in obliquo significat origo, dico esse actum ipsum non absolutē, sed vt est à persona, vel ad personam tali proprietate vt hypostatica forma constitutam; exempli gratia, generatio, quæ est origo, vt egrediens à persona Patris, includit ordinem originis ad natiuitatem; qui ordo fundatur in actu intelligendi Patris, non absolute, sed prout est talis personæ constitutæ tali proprietate vt hypostatica forma, quæ est paternitas. Similiter ordo, quem includit natiuitas ad generationem, fundatur in actu intelligendi, non absolute, sed prout est verbi productius, cuius constitutiua proprietates est filiationis, vt hypostatica forma; quæ tamen vt relatio fundatur in ipsa natiuitate, sicut paternitas vt relatio in generatione.

Deinde profert idem author alia quædam argumenta, quæ vel assumunt propositiones manifeste falsas in doctrina D. Th. vel eadem sunt cum argumentis Scoti, quibus plenè respondēt authores iam dicti.

Alia argumenta contra prædictas conclusiones, & præsertim vltimam, & eorum solutiones lege, si placet, apud expositores.

Argumenta pro sententia Dur. superius relata profert & soluit Capr.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virum persona procedens sit coeterna suo principio, vt filius patri.

221.
4. cons. c. 11.
Et pot. q. 2.
a. 3. cor. 2.
q. 3. art. 13.
Et opus. 3.
c. 41.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod persona procedens non sit coeterna suo principio, vt filius patri. Arrius enim duodecim modos generationis assignat. Primus modus est iuxta fluxum lineæ à puncto. Vbi deest æqualitas simplicitatis. Secundus modus est iuxta emissionem radiorum à Sole. Vbi deest æqualitas natura. Tertius modus est iuxta characterem, seu impressionem à sigillo. Vbi deest co-substantialitas, & potentia efficiencia. Quartus modus est iuxta immersionem bene voluntatis à Deo. Vbi etiam deest co-substantialitas. Quintus modus est iuxta exitum accidentis à substantia. Sed accidenti deest subsistentia. Sextus modus est, iuxta abstractionem speciei à materia: sicut sensus accipit speciem à sensibili. Vbi deest æqualitas simplicitatis spiritualis. Septimus modus est, iuxta excitationem voluntatis à cogitatione. Quæ quidem excitatio temporalis est. Octauus modus est, iuxta transfigurationem, vt ex ære fit imago: quæ materialis est. Nonus modus est, motus à mouente, & hic etiam ponitur effectus & causa. Decimus modus est, iuxta eductionem specierum à genere. Qui non competit in diuinis: quia pater non predicatur de filio, sicut genus de specie. Vndecimus modus est, iuxta ideationem: vt arca exterior ab ea

quæ est in mente. Duodecimus modus est, iuxta nascentiam: vt homo est à patre. Vbi est prius, & posterius secundum tempus. Pater ergo, quod in omni modo quo aliquid est ex altero, deest æqualitas natura, aut æqualitas durationis. Si igitur filius est à patre, oportet dicere, vel eum esse minorem patre, aut posteriorem, aut vtrumque.

2. Præter. Omne quod est ex altero, habet principium: sed nullum æternum habet principium. Ergo filius non est æternus, neg. Spiritus sanctus.

3. Præter. Omne quod corrumpitur, desinit esse. Ergo omne quod generatur, incipit esse. Ad hoc enim generatur, vt sit. Sed filius est genitus à patre. Ergo incipit esse, & non est coeternus patri.

4. Præter. Si filius genitus est à patre, aut semper generatur, aut est dare aliquid instans sue generationis. Si semper generatur (dum autem aliquid est in generari, est imperfectum: sicut patet in successibus, quæ sunt semper in fieri, vt tempus & motus) sequitur quod filius semper sit imperfectus. Quod est inconueniens. Est ergo dare aliquid instans generationis filij. Ante illud ergo instans filius non erat.

Sed contra est, quod Athanasius dicit, * quod totæ tres personæ coeternæ sibi sunt. * in suo summo volo fidei.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere filium esse coeternum patri.

Ad cuius euidenciam considerandum est, quod aliquid ex principio existens posterius esse suo principio, potest contingere ex duobus. Vno modo ex parte agentis: alio modo ex parte actionis. Ex parte agentis quidem, aliter in agentibus voluntariis, aliter in agentibus naturalibus. In agentibus quidem voluntariis, propter electionem temporis. Sicut enim agentis voluntarij potestate est eligere formam quam effectui conferat, vt supra dictum est: ita in eius potestate est eligere tempus in quo effectum producat.

In agentibus autem naturalibus hoc contingit, quia agens aliquid non à principio habet perfectionem virtutis naturalis ad agendum, sed ei aduenit post aliquod tempus, sicut homo non à principio generare potest. Ex parte autem actionis impeditur ne id quod est à principio, simul sit cum suo principio, propter hoc quod actio est successiva. Vnde dato quod aliquod agens tali actione agere inciperet statim cum est, non statim in eodem instanti esset effectus, sed in instanti ad quod terminatur actio. Manifestum est autem secundum præmissa, quod pater non generat filium voluntate, sed natura. Et iterum quod natura patris ab æterno perfecta fuit. Et iterum quod actio, qua pater producit filium, non est successiva: quia sic filius Dei successivè generatus esset, & eius generatio materialis, & cum motu esset, quod est impossibile. Relinquitur ergo quod filius fuit quandocumque fuit pater. Et sic filius est coeternus patri, & similiter Spiritus sanctus vtrique.

Ad Primum ergo dicendum, quod sicut Aug. * dicit Ser. 33. p. in lib. de Verbis Domini, nullus modus processionis aliter, cuius creatura perfectè representat diuinam generationem. Vnde oportet ex multis modis colligere similitudinem: vt quod deest ex vno, aliquantulum suppleatur ex altero. Et propter hoc dicitur in Synodo Ephesina. Coexistere semper coeternum patri filium splendor tibi denunciet. Impossibilitatem natiuitatis ostendet verbum, co-substantialitatem filij nomen insinuet. Inter omnia tamen expressius representat processionem verbi ab intellectu. Quod quidem non est posterius eo à quo procedit: nisi sit talis intellectus qui exeat de potentia in actum. Quod in Deo dici non potest.

Ad Secundum dicendum, quod æternitas excludit principium durationis, sed non principium originis.

Ad Tertium dicendum, quod omnis corruptio est mutatio quadam. Et ideo omne quod corrumpitur incipit non esse. & desinit esse. Sed generatio diuina

diuina non est transmutatio, ut dictum est supra. A
q. 27. a. 2. * Vnde filius semper generatur, & pater semper
generat.

Ad Quartum dicendum, quod in tempore aliud
est quod est indiuisibile, scilicet instans: & aliud est
quod est durans, scilicet tempus. Sed in aeternitate i-
psium nunc indiuisibile est, & semper stans, ut supra
dictum est. * Generatio vero filij non est in nunc tē-
poris: aut in tempore, sed in aeternitate. Et ideo ad si-
gnificandum praesentialitatem, & permanentiam a-
ternitatis, potest dici quod semper nascitur, ut Orige-
nes dixit. Sed (ut Greg. & August. dicunt) melius
est quod dicatur semper natus: ut ly semper, designet
† Hom. in
c. 1. Ioh. a
med. 10. 3.
Aug. 1a 1y. permanentiam aeternitatis: & ly natus, perfectionem
2. supra id: genti. Sic ergo filius non imperfectus est, neq. erat
hodie genui-
te: romo 8.
Greg. 29 li.
mora cap. 1.

Sensus quaestii.

Hic aduerte non solum quari, vtrum per-
sona procedens fuerit ab aeterno, sed an
sit aequalis suo principio in aeternitate, ut pa-
tet ex introductione quaestionis, quod altius
est quaesitum. Nam si celum fuisset ab aeterno,
non tamen esset aequale Deo in aeternitate.

Forma Textus.

CONCL. est. Necessae est dicere filium esse coa-
eternum patri. Probatur. Omne ex princi-
pio existens posterius illo, aut procedit ab illo
voluntariē, aut à natura paulatim perfecta, aut
actione successiua; à pater non generat filium
voluntate, sed natura, & patris natura ab aeterno
perfecta fuit, & actio qua pater generat fi-
lium non est successiua; ergo filius fuit, quan-
doque fuit pater, quod est filium esse coeternū
patri: & eadem est ratio de Spiritu sancto, re-
spectu patris & filij. Maior probatur distin-
guendo & ostendendo multiplicem causam po-
sterioritatis eius, quod est à principio respectu
sui principij, nimirum ex parte agentis, vel ex
parte actionis. Et ex parte agentis aliter in a-
gentibus voluntarijs, & aliter in agentibus na-
turalibus, ut perspicue habetur in textu. Minor
quo ad priores duas partes relinquitur ut nota;
quo ad tertiā verò probatur; quia sic filius suc-
cessiue generatus esset, & generatio materialis
esset, & cum motu quod est impossibile.

Aliam Torres adhibet formam, quem se-
quuntur Molina & Valentia.

Expositio Textus.

CIRCA probationem minoris aduertit Cai.
consequentiam non pendere ex illa pro-
positione: Vbiq. est materia, vbi est successio;
Est enim falsa; cum in intellectu Angeli sit suc-
cessio, in quo tamen non est materia; sed infer-
tur (inquit) ex hac, vbiq. est successio; est generatio
successiua substantiae, ibi est materia, quae ve-
rissima est, & patet inductiue in omni substan-
tiali generatione successiue facta.

De materia repositionis ad quartum argumē-
tum vide Mag. in 1. dist. 9. & D. Th. ibi q. 2. a. 2.
& in 2. cont. gent. c. 11. & alijs locis ad marginem
notatis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in diuinis personis sit ordo naturae.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod in di-
uinis personis non sit ordo naturae. Quicquid e-
nim in diuinis est, vel est essentia, vel persona, vel no-
tio. Sed ordo naturae non significat essentiam, neque
222.
1. dist. 12. a.
1. & di 20.
a. 3. Et po.
q. 10. art. 3.
167.

est aliqua personarum, aut notionum. Ergo ordo na-
turae non est in diuinis.

2. Praeterea. In quibuscumq. est ordo naturae, v-
num est prius altero, saltem secundum naturam &
intellectum, sed in diuinis personis nihil est prius & po-
sterius, ut Athan. * dicit. Ergo in diuinis personis non
est ordo naturae.

3. Praeterea. Quicquid ordinatur, distinguitur:
sed natura in diuinis non distinguitur. Ergo non or-
dinatur. Ergo non est ibi ordo naturae.

4. Praeterea. Natura diuina est eius essentia. Sed
non dicitur in diuinis ordo essentiae. Ergo neq. ordo
naturae.

Sed contra, vbiq. est pluralitas sine ordine, ibi
est confusio, sed in diuinis personis non est confusio, ut
Ath. * dicit. Ergo est ibi ordo.

Respondendo dicendum, quod ordo semper dicitur
per comparationem ad aliquod principium. Vnde si-
cut dicitur principium multipliciter, scilicet secundū
situm, ut punctus secundum intellectum, ut princi-
pium demonstrationis, & secundum causas singulas:
ita etiam dicitur ordo. In diuinis autem dicitur prin-
cipium secundum originem absq. prioritate, ut supra
dictum est. * Vnde oportet ibi esse ordinem secun-
dum originem absq. prioritate, Et hic vocatur ordo
naturae secundum August. † non quo alter sit prius al-
tero, sed quo alter est ex altero.

Ad primum ergo dicendum, quod ordo naturae si-
gnificat notionem originis in communi, non autem in
speciali.

Ad secundum dicendum, quod in rebus creatis e-
tiam cum id quod est, à principio, sit suo principio
coeternum secundum durationem: tamen principium est
prius secundum naturam & intellectum, si conside-
retur id quod est principium. Sed si considerentur ip-
sae relationes causa & causati, & principij & princi-
piati, manifestum est, quod relatiua sunt simul na-
tura & intellectu, inquantum vnum est in definitio-
ne alterius. Sed in diuinis ipsae relationes sunt subsi-
stentes personae in vna natura. Vnde neq. ex parte na-
turae, neq. ex parte relationum, vna persona potest
esse prior alia, neq. etiam secundum naturam & in-
tellectum.

Ad tertium dicendum, quod ordo naturae dicitur,
non quod ipsa natura ordinetur, sed quod ordo in di-
uinis personis attenditur secundum naturae originē.

Ad quartum dicendum, quod natura quodam-
modo importat rationē principij, non autem essentiae.
Et ideo ordo originis melius nominatur ordo naturae,
quam ordo essentiae.

Sensus quaestii.

EXRESPONSIONE ad tertium argumen-
tum colligitur sensus quaestii, quem hica-
perit Cai. & post eum Syll. & Torres. Nam
obliquus ille, naturae non determinatur per di-
ctionem illam, ordo, ita ut significetur naturam
ordinari, vel ordinem esse naturae tanquam rei
ordinatae, sed ponitur ad specificandum ordi-
nem de quo queritur, & ad significandum que-
stionem hic esse non de quocumque ordine, sed
tantum de ordine naturae, id est de ordine na-
turali, qui est ordo originis. Dicitur autem or-
do naturalis, ut distinguitur contra liberum,
qui .s. distinguitur contra liberum, quem Aug.
in textu relatus dixit esse ordinem, non quo al-
ter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.
Vel dicitur ordo naturae, quoniam essentiae Dei
conuenit ex natura sua, ut ordine quodam sit in
tribus suppositis, scilicet in patre ex se & abiq.
vlla processione, in filio per natiuitatem à pa-
tre, in Spiritu S. per processionem à patre & fi-
lio, ut hic etiā annotauit Zu. quē sequitur Suar.

* In suo sim-
bolo fidei.

* In suo sim-
bolo fidei.

* 23. a. 1.
ad 3. preci-
pue.

† Ex lib. 4.
sup. Gen. c.
34. & 35.

10. 3. Et ex
oratione de
quib. here-
sibus à me-
dio 10. 3.

For.

Forma Textus.

CONC. est. In diuinis personis est ordo naturæ, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero. Probatur primò. In diuinis oportet esse ordinem secundum originem absque prioritate; at hic vocatur ordo naturæ secundum Augustinum, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero; ergo. Prima propositio probatur. Sicut principium dicitur multipliciter, scilicet secundum situm vt punctus, secundum intellectum vt principium demonstrationis, & secundum causas singulas, ita dicitur ordo. At in Diuinis dicitur principium secundum originem absque prioritate. Ergo oportet ibi esse ordinem secundum originem absque prioritate. Prima propositio huius argumenti probatur; quia ordo semper dicitur per comparisonem ad aliquod principium; ergo sicut dicitur principium multipliciter &c. Secunda verò propositio probatur ex dictis supra quest. 33. art. primo.

Expositio Textus.

HIVVS art. concl. explicat S. D. in response ad secundum, vbi Cai. aliud eiusdem authoris dictum supra quest. 40. art. ultimo, quod obijcit Scotus tanquam huic doctrinæ contrarium, aptè conciliat, quæ conciliatio videtur desumpta ex eodem A. D. in 1. dist. 12. q. unica a. 1. Eandem concl. latius explicat author in 1. dist. 20. q. 1. a. 3. ex quo loco & alijs eiusdem S. D. assertis, Zumel. eiusdem conclusionis aperit veritatem, quæ sequentis controuersiæ disputatione & definitione reddetur illustrior.

Vide etiam quæ scribit Torres circa respons. ad primum argum. D. Th.

CONTROVERSIÀ VNICA.

De veritate conclusionis: an videlicet in diuinis personis sit ordo naturæ sine ratione prioris, & posterioris.

Sententia
D. Thomæ.

SCOTVS in 1. dist. 12. q. 2. & dist. 28. q. ult. & in quolib. q. 4. docet Patrem esse priorem origine filio, & patrem simul & filium Spiritu S. Quam sententiam explicat & tuetur Rada controu. 5. dicens ordinem originis non includere ordinem naturæ, nec illum præexigere, aut coexigere necessariò: nec prioritatem naturæ includere necessariò, vel præexigere, aut coexigere ordinem originis; quia inter species positas sub eodem genere est ordo naturæ essentialis eminentiæ sine ordine originis, quia vna nō est ab alia. Dicit præterea in vno instanti naturæ posse esse plura instantia originis; quia prioritas originis composibilis est cum similitudine opposita prioritati naturæ. Postremò declarans mentem Scoti statuit duas conclusiones, quæ sunt apud eum septima, & octaua. Prior est. Cum Scotus affirmat vnā personam diuinā esse priorem origine alia, aut esse in aliquo signo, aut instanti originis in quo non sit alia, non intelligit quòd secundum aliquā permanentiam, aut durationem vna persona sit prior alia. Posterior est. Secundum mentem Do-

Actoris subtilis prius origine est id, quod vel habet esse à se, vel agit à se; quia virtutem operandi à se habet: Posterius verò origine, quòd habet esse ab alio, vel quod agit ab alio; quia virtutem actiui ab alio recipit. Hanc interpretationem colligit Rada ex varijs Scoticæ doctrinæ locis; quem sensum prius attigerat Caiet. & post eum Torres & Suarez, & quidam alij.

Sed Iauel. & Mol. contendunt Scotum in diuinis personis affirmasse non tantum prius à quo, sed etiam prius in quo, sequentes Arimnensem, Gabrielem & Baconem, Scoto prædictam sententiam tribuentes. Et quamuis verba Scoti, quæ refert Mol. sensum illum planè satis præferre videantur, ea tamen Torres, Rada & Zumel. quamuis hic non satis libi constet, in benigniorem partem, & magis Catholice veritati consentaneam interpretantur: adeo, vt non re significata, sed verbis & modo loquendi tantum Scotus ab A. nostro D. dissentiat, vt hic affirmat Cai. & alij.

Zumel. & Torres dicunt simpliciter, & absolute loquendo nullam esse à parte rei in Deo, neque inter diuinas personas prioritatem, sed cum addito loquendo dici posse inter diuinas personas esse prioritatem originis, quæ prioritas originis eo modo (inquit) quo est prioritas, est à parte rei.

Eandem sententiā sequuntur Vasq. & Suar. quam etiam dicunt non aduersari doctrinæ D. Thomæ.

Ex VOCVM significatione bene perspecta præcipue pendet propositæ controuersiæ definitio. Vt autem aduertit S. D. in 1. dist. 20. q. 1. a. 3. ex Arist. 5. Metaph. text. 5. nomen naturæ importat rationem originis: Ex quo sequitur, vt hæc duo nomina, ordo, naturæ, sumantur in vi vnius nominis ad significandum speciem ordinis: quæ quidem species (inquit S. D.) saluatur in diuinis personis, quo ad rationem differentię, non quo ad rationem generis, quæ est ratio prioris & posterioris. Quod in alijs de Deo prædicatis ostenderat cumulatè in eodem lib. dist. 4. q. 1. a. 1. & supra q. 13. a. 3. ad 1. & alibi vbi communem hanc statuit regulam. Quandoquid, aliquid secundum suū genus dicitur imperfectum, & secundum differentiam perfectionem, inuenitur in Deo, quantum ad rationem differentię, & non quantum ad rationem generis. Sicut scientia non est in Deo quantum ad rationem habitus, vel qualitatis: quia sic habet rationē accidentis, sed solum secundum id, quod complet rationem scientiæ, scilicet cognoscituum certitudinaliter aliquorum. Hæc D. Th. in 1. Igitur in diuinis, vt etiam affirmat Aug. est ordo naturæ, quo aliquis est ex alio, in quo ponitur (inquit ibi S. D.) differentia originis, & non prior alius in quo remouetur ratio generis. Ex quo deducit non esse concedendum esse ibi ordinem simpliciter, sed ordinem naturæ. Vbi aduerte duo. Primum est, D. Tho. in toto illo a. sicut etiam in hoc, pro eodem formaliter accipere ordinem naturæ, & ordinem originis, & his nominibus vt synonymis indifferenter vt, vt perspicue patet hic in resp. ad 4. Secundum est, nec ibi, nec alibi S. nostrum D. affirmasse prioritatem secundum originem in diuinis.

Quod autem obijcit Scotus, & post eum Rada ex q. 40. a. 4. de prioritate personæ patris secundum intellectum, respectu generationis actiue, & cōsequenter respectu filij, soluitur hic ab expositore Cai. & a Principe Thomistarū Cap. in 1. dist.

Resolutio,
Ex ratione
formali, &
differentiæ
sive modis
prioris &
posterioris
ostenditur
hæc ordi-
diuinarum
personarum
non inesse.

distinct. 6. quæst. 1. ad 1. Scoti, contra 6. concl. De A qua difficultate copiosè disseruimus in dicto articulo, in controuersia de constitutis personarum.

Præterea sciendum est duplex esse prius & posterius natura, scilicet, in quo & à quo. Illud est prius in quo, quod præcedit mensura existentie rei, & ab eo, quod eo posterius est, non præceditur. Dixi *præcedit mensura existentie rei*, siue illa sit tempus, siue instans temporis, siue instans nature. Nam pater in humanis prior est filio tempore, in quo non est filius, & substantia Solis lucem præcedit instanti nature, in quo est Sol, & nondum est lux. Dixi, & non præceditur ab eo, quod posterius est, vt per hoc distinguatur ab eo, quod dicitur prius à quo. B Nam quod ita prius est, admittit similem eius, quod posterius est, respectu sui prioritatem, vt patet in materia & forma, quæ sibi inuicem sunt causæ, quamuis in diuerso causandi genere, & consequenter altera prior & posterior est altera. Prius igitur à quo illud est, quod sola sua causalitate præcedit.

Quibus duobus prioritatis modis duo correspondent modi instantis nature, nimirum instans nature in quo, & instans nature à quo. De quibus satis egimus supra q. 3. art. 2. controu. vnica, notabili 8. Ex quibus patet fauellum super hoc articulo non benè declarasse dictos prioritatis modos. Cum itaque nullum sit instans nature, in quo est pater, in quo etiam non sit filius, & Spiritus S. nec aliqua sit causalitas vnus diuinæ persone ad aliam; quia trium personarum vna est essentia, & vnum esse, sequitur ex eis, nullam esse à parte rei, siue secundum re priorem altera, neque posteriorem: quidquid sit de modo nostro intelligendi.

Quod autem ait Rada cum Scoto, in vno instanti nature posse esse plura instantia originis, chimericum est. Nam vt ante diximus ex D. Th. idem est ordo nature & ordo originis: & similiter instans nature & instans originis. Cū autem Scotus, vt hic aduertit Cai. & alij supra notati expositores, appeller prius origine id à quo alius, & præsertim quod est à se produciens vt pater, posterius verò origine, quod ab alio est: sequitur inter nos & Scotum nullam esse de re controuersiam, sed de vocibus tantum, vt admonet Cai. & alij. Est tamen modus loquendi D. Th. longè congruentior, & fidei confessioni in Symbolo Athan. ac Sanctorum dictis consonantior, ac proinde tenendus, & vsu loquutionis æmulandus. Vera est igitur.

CONCL. S. D. *affirmans in diuinis esse ordinem nature, siue originis, non quo alter est prior altero, sed quo alter est ex altero.*

CONTRA concl. argumentatur Zumel. probans inter diuinas personas esse prioritatem originis. Primò. Per huiusmodi prioritatem originis solum explicamus idem, quod dixit Aug. per ordinem nature; igitur, &c. Resp. idem significari, sed minus congruè.

Secundò. Omnem ordinem concomitatur aliquis modus prioritatis sibi proportionatus, qualis est possibilis, & propter hunc ordinem admittimus primam & secundam personam; ergo. Confirmatur; quia vna persona est principium alterius, & alia est à principio: sed idem sunt principium & primum, & vtrumq; prioritatem quandam importat; ergo. Respond. falsum esse antec. quoad priorem partem, vt ostendimus ex D. Thom. quo ad secundam verò respondet S. Thom. in 1. dist. 20. quæst. 1. art. 3. ad 5. dicens ordine sufficere, vt confu-

sio non ponatur, & vt Spiritus Sanctus dicatur tertia persona. Et per hoc soluitur etiam simile argumentum Vasq. Ad confirmat. respondet supra D. Thom. q. 33. a. 1. ad 3. & negat minorem.

Tertio Qui producit alterum, & non produ- citur, habet esse sine origine & sine receptione: alter verò cum origine & recipiendo; ergo vnus intelligitur habere esse ante originem, id est sine illa, alter per illam: hæc autem vocatur prioritas originis; ergo. Resp. nullam esse consequ. sumendo ante in proprio significato. Vnde malè exponitur ante, id est sine illa, quo sensu currit consequentia, & verum est consequens, sed propositio subsumpta falsa est, hanc nimirum esse prioritatem originis. Secundò dico hoc argumento probari prioritatem secundum modum nostrum intelligendi, nò autem à parte rei.

Quartò aduersus eandem conclusionem militant dicta quorundam Patrum, ab eodem Zumel. relata in fauorem Scoti. Hi verò sunt, Damascenus, Basiliius, Aug. Vgo de S. Victore, & alij, quos etiam afferunt Vasquez & Rada. Resp. primò D. Aug. in textu relatum apertè negare prioritatem in diuinis personis: vnde alia eiusdem dicta sunt exponenda de prioritate quoad modum nostrum intelligendi, quo diuinas personas imperfectè cognoscimus. Et eodem modo interpretanda sunt quedam alia Patrum pronunciata. Damasc. autem de sola causalitate meminit, qua patrem ait esse maiorem & superiorem filio: quod eo sensu accipiendum est, quo dictum illud Hyllarij: Authoritate donatis pater maior est, sed non est minor filius, cui vnum esse donatur.

Contra eandem concl. argumentatur Vasq. In Trinitate negari nequit prima, secunda & tertia persona, non solum numerante nostro intellectu, sed ex natura rei secundum ordinem realem; ergo. Antec. probatur, primò; quia prima persona est pater, & secunda filius, & tertia Spiritus S. vt aliter esse non possit. Si autem solo numero intellectus esset prima, secunda & tertia, posset dici prima Spiritus S. secunda pater, & tertia filius; qui enim numerat, ita ab hac vnitatem, sicut ab illa potest incipere, & in hanc, sicut in illam definire. Secundò; quia hunc ordinem primæ, secundæ & terciæ persone affirmant S. & præsertim Nazian. & Basiliius. Tertio; quia ordo est habitudo ad vnum primum, vel ad vnum principium; idem enim videtur esse vnum principium & vnum primum, quia omne principium in aliquo ordine primum est à quo reliqua procedunt: sed in diuinis est ordo realis & naturalis vt omnes fatentur Scholastici; ergo ex natura rei, est prima, secunda & tertia persona. Resp. nullam esse consequ. Nam, vt diximus ex D. Thom. sufficit ordo originis vt in diuinis personis sit à parte rei vna prima, alia secunda, & alia tertia: adeò vt dictiones illæ, prima, secunda & tertia, solum significant ordinem originis, non autem prioritatis & posterioritatis. Cur autem illis vocibus ordinem originis Patres illi significarint, nulla ratio afferri videtur posse melior, quàm imperfectio intelligentiæ nostræ, quæ ordinem originis personarum nequit aptè concipere nisi sub ratione primi, secundi & tertij. Secundò dico in illis vocibus prima, secunda & tertia duo considerari: Alterum est ordo originis, quo vna persona est ab alia, quæ dictis nominibus primò intendimus significare, & secundum hoc verum est

Ad confir.

Solut.

obi. 4.

Solut.

obi. 5.

Solut.

an-

antecedens. Alterum est ratio prioris & posterioris, quas rationes ex prima sui impositione prædictæ voces important, & hæ rationes non in re ipsa, sed in solo sunt intellectu nostro concipiente & numerante. Postremò dico prædictas voces non esse multum à Patribus & Scholasticis vitatas, sed quandoque ad confusionem intelligentiæ minus perspicacium euitandam fuisse prolatas, & ob eandem causam communiter à concionatoribus vsurpari.

Contra eandem concl. eadem argumenta producit Rada, quæ eisdem solutionibus diluuntur. Aduersus eandem conclusionem sunt alia quædam argumenta, quæ proponunt & solunt Iauel. Torr. Zumei. Mol. & Valentia.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum filius sit equalis patri secundum magnitudinem.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit equalis patri in magnitudine. Dicit enim ipse Ioan. 14. Pater maior me est. Et Apost. 1. Corin. 15. Ipse filius subiectus erit illi qui sibi subiecit omnia.

2 Præterea, Paternitas pertinet ad dignitatem patris: sed paternitas non conuenit filio, ergo non quicquid dignitatis habet pater, habet filius. Ergo non est equalis patri in magnitudine.

3 Præterea. Vbiunque est totum & pars, plures partes sunt aliquid maius, quam vna tantum, vel pauciores, sicut tres homines sunt aliquid maius quam duo, vel vnus. Sed in diuinis videtur esse totum vniuersale & pars. Nam sub relatione, vel notione plures notiones continentur: cum igitur in patre sint tres notiones, in filio autem tantum dua, videtur quod filius non sit equalis patri.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 2. Non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere filium esse equalem patri in magnitudine. Magnitudo enim Dei non est aliud quam perfectio naturæ ipsius. Hoc autem est de ratione paternitatis & filiationis, quod filius per generationem peringat ad habendam perfectionem naturæ quæ est in patre, sicut & pater. Sed quia in hominibus generatio est transmutatio quadam exeuntis de potentia in actum, non statim à principio homo filius est equalis patri generanti, sed per debitum incrementum ad equalitatem perducitur: nisi aliter eueniat propter defectum principij generationis. Manifestum est autem ex dictis, quod in diuinis est proprie & verè paternitas & filiatio. Nec potest dici, quod virtus Dei patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius successiue, & per transmutationem ad perfectionem perueniret. Vnde necesse est dicere quod ab eterno fuerit patri equalis in magnitudine. Vnde & Hilari. *.

quod in diuinis est proprie & verè paternitas & filiatio. Nec potest dici, quod virtus Dei patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius successiue, & per transmutationem ad perfectionem perueniret. Vnde necesse est dicere quod ab eterno fuerit patri equalis in magnitudine. Vnde & Hilari. *.

quod in diuinis est proprie & verè paternitas & filiatio. Nec potest dici, quod virtus Dei patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius successiue, & per transmutationem ad perfectionem perueniret. Vnde necesse est dicere quod ab eterno fuerit patri equalis in magnitudine. Vnde & Hilari. *.

quod in diuinis est proprie & verè paternitas & filiatio. Nec potest dici, quod virtus Dei patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius successiue, & per transmutationem ad perfectionem perueniret. Vnde necesse est dicere quod ab eterno fuerit patri equalis in magnitudine. Vnde & Hilari. *.

quod in diuinis est proprie & verè paternitas & filiatio. Nec potest dici, quod virtus Dei patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius successiue, & per transmutationem ad perfectionem perueniret. Vnde necesse est dicere quod ab eterno fuerit patri equalis in magnitudine. Vnde & Hilari. *.

quod in diuinis est proprie & verè paternitas & filiatio. Nec potest dici, quod virtus Dei patris fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius successiue, & per transmutationem ad perfectionem perueniret. Vnde necesse est dicere quod ab eterno fuerit patri equalis in magnitudine. Vnde & Hilari. *.

A vundum naturam diuinam equalis est patri, & hoc est quod Athanasius. * dicit, equalis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem. Sed secundum Hilari. * in 9. lib. de Trinit. donantis auctoritate pater maior est, sed minor non est cui vnus esse donatur. Et in lib. de Syn. † dicit, quod subiectio filij naturæ pietas est, ad est recognitio auctoritatis paternæ. Subiectio autem ceterorum, creatio- nis infirmitas.

Ad Secundum dicendum, quod equalitas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in diuinis significat perfectionem naturæ (vt dictum est *) & ad essentiam pertinet. Et ideo equalitas in diuinis, & similitudo secundum essentialia attenditur: nec potest secundum distinctionem relationum, inæqualitas, vel dissimilitudo dici. Vnde Aug. † dicit contra Maximum. Originis questio est quid de quo sit, equalitatis autem qualis aut quantus sit. Paternitas igitur est dignitas patris, sicut & essentia patris. Nam dignitas est absolutæ, & ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia, quæ in patre est paternitas: in filio est filiatio: ita eadem dignitas quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio. Verè ergo dicitur, quod quicquid dignitatis habet pater, habet filius: nec sequitur, paternitatem habet pater, ergo paternitatem habet filius. Mutatur enim quod in ad aliquid. Eadem enim est essentia & dignitas patris & filij. Sed in patre est secundum relationem dantis, in filio secundum relationem accipientis.

C Ad Tertium dicendum, quod relatio in diuinis non est totum vniuersale, quamuis de similibus relationibus prædicetur, quia omnes relationes sunt vnum secundum essentiam & esse. Quod repugnat rationi vniuersali: cuius partes secundum esse distinguuntur. Et similiter persona (vt supra dictum est *) non est vniuersale, in diuinis. Vnde neque omnes relationes sunt maius aliquid quam vna tantum: nec omnes persone maius aliquid quam vna tantum: quia tota perfectio diuinæ naturæ est in qualibet personarum.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. Necesse est dicere filium esse equalem patri in magnitudine. Probatur. Magnitudo Dei nihil est aliud quam perfectio naturæ ipsius: at de ratione paternitatis & filiationis est, vt filius peringat ad habendam perfectionem naturæ, quæ est in patre, sicut & pater: ergo.

SECUNDA CONCL. Necesse est dicere quod filius ab eterno fuerit equalis patri in magnitudine. Probatur primò ratione. Ideò non statim à principio homo filius est equalis patri generanti, sed per debitum incrementum ad equalitatem perducitur (nisi aliter eueniat propter defectum principij generationis) quia in hominibus generatio est transmutatio quadam exeuntis de potentia in actum, at in diuinis vbi est proprie paternitas & filiatio, nec potest dici quod virtus generantis fuerit defectiua in generando, neque quod Dei filius successiue & per transmutationem ad perfectionem perueniret: ergo necesse est dicere &c. Secundo probatur auctoritate Hylarij vt in textu.

Expositio Textus.

CIRCA responsionem ad primum lege quæ scribit Mol. Responsionem autem ad secundum explicat Ban. de qua re legenda sunt, quæ diximus supra quæst. 28.

art. 2. in 2. controu.

A 2.

ARTICVLVS QVINTVS.

Utrum filius sit in patre, & e conuerso,

224
1. dist. 19. q. 2. a. 1. Et 4. con. c. 9. fin. c. 65. 10. lib. 6. col. 2. sic c. 16. lib. 7. col. 2. 2. ex. 23. 40. 2.

AD Quintum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit in patre, & e conuerso. Philosophus enim in 4. Phys. ponit octo modos essendi aliquid in alio, & secundum nullum horum filius est in patre, aut e conuerso: ut pater discurrat per singulos modos. Ergo filius non est in patre, nec e conuerso.

2. Præterea. Nihil quod exiit ab aliquo, est in eo, sed filius ab aeterno exiit à patre secundum illud Michæ 5. Egressus eius, ab initio à diebus aternitatis. Ergo filius non est in patre.

3. Præterea. Vnum oppositorum non est in altero. Sed & filius & pater opponuntur relatiue. Ergo vnus non potest esse in alio.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est.

Respondeo dicendum, quod in patre & filio tria est consideranda, scilicet essentiam, & relationem, & originem. & secundum quodlibet istorum filius est in patre, & e conuerso. Secundum essentiam enim pater est in filio, quia pater est sua essentia, & communicat suam essentiam filio non per aliquam suam transmutationem. Vnde sequitur quod cum essentia patris sit in filio, quod in filio sit pater. Et similiter cum filius sit sua essentia, sequitur quod sit in patre, in quo est eius essentia. Et hoc est, quod Hilarius dicit 5. de Trinit. Naturam suam (ut ita dicam) sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus cum in Deo Deus inest. Secundum etiam relationes manifestum est, quod vnum oppositorum relatiue est in altero secundum intellectum. Secundum originem etiam manifestum est, quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Ad etiam quod verbo dicitur, in verbo continetur. Et eadem ratio est de Spir. S.

Ad Primum ergo dicendum, quod ea, quæ in creaturis sunt, non sufficienter representant ea quæ Dei sunt. Et ideo secundum nullum eorum modorum quos Philosophus enumerat, filius est in patre, aut e conuerso. Accedit tamen magis ad hoc modus ille, secundum quem aliquid dicitur esse in principio originante: nisi quod deest vnitas essentia in rebus creatis inter principium, & id quod est à principio.

Ad secundum dicendum, quod exiit filij à patre est secundum modum processionis interioris, prout verbum exit à corde, & manet in eo. Vnde exitus iste in diuinis est secundum solam distinctionem relationum, non secundum essentialem aliquam distantiam.

Ad Tertium dicendum, quod pater & filius opponuntur secundum relationes, non autem secundum essentiam, & tamen oppositorum relatiue vnum est in altero, ut dictum est.

Sensus quaestri.

EXISTENTIAM alicuius in altera diuina persona mutuam quidam ex antiquis, & plures ex recentioribus Theologis circuminceptionem appellant; quoniam in tribus quasi circulo quodam agitur, & completur existentia hæc vnus, alia diuina persona, adeo, ut in vnaque sit existendi ratio triplex in qualibet alia, ut perspicue patet, tam ex huius articuli doctrina, quam ex 1. dist. 19. q. 3. a. 2. ad 1.

Forma Textus.

CONCL. est. Pater est in filio, & e conuerso, secundum essentiam, & relationem, & originem. Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

A Probatur primò, quo ad primam partem. Essentia patris est in filio. Ergo pater est in filio. Antecedens probatur; quia pater communicat suam essentiam filio absque transmutatione. Consequens verò probatur; quia pater est sua essentia; & eadem arguendi forma probari potest filium esse in patre hoc modo. Essentia filij est in patre, ergo filius est in patre. Antecedens iam probatum est. Consequentia verò probatur, quia filius est sua essentia. Deinde probatur eadem pars ex Hilario in 5. de Trin. Secunda verò pars probatur; quia vnum oppositorum relatiue est in altero secundum intellectum. Ergo vna persona diuina est in alia secundum relationem. Tertia demum pars. Quia processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente, & id quod verbo dicitur in verbo continetur. Ergo vna persona est in alia secundum originem.

Expositio Textus.

PRO conclus. lege dicta patrum apud Magistrum in 1. dist. 19. Turrianus hic ait Caiet. explicare verba præsentis articuli contra intentionem S. Th. & aliorum Sanctorum, cuius censura quamuis grauissima nullum in toto suo commentario producit argumentum.

Circa tres partes prædictæ conclusionis plura sunt dubia & aduersariorum argumenta, quibus Caiet. noster satisfacit egregie, & ante eum Capr. in 1. dist. 19. q. 1. quem sequuntur Iauell. & Vafq. super hoc a. & Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 16. qui non satis aptè tres inexistenti modos in textu positos nititur ad mentem (ut existimat) D. Th. tribus illis modis accommodare; quibus ait S. D. sup. q. 8. a. 3. Deum esse in omnibus rebus, scilicet per præsentiam, potentiam & essentiam seclusis imperfectionibus. Nam quicquid sit de secundo & tertio, primus quod dicitur esse Deus in omnibus per præsentiam, nihil habet commune aut simile cum secundo præsentis articuli, quo dicuntur esse inuicem diuinæ personæ; quia correlatiue sunt. Dicitur enim Deus in omnibus esse per præsentiam, quatenus omnia nuda & aperta sunt oculis eius, quorum virtute cognoscitiua & intuitiua penetrat vniuersa. Pertingens vsq. ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoq. ac medullarum, cognitionis & intentionum cordis, ut Hebr. 4. dicitur de sermone Dei, qui eius intellectus est signum. Iuxta secundum verò modum hic in textu positum dicitur vna persona esse in alia secundum relationem; quia vnum oppositorum relatiue est in altero secundum intellectum: non quia alterum relatiuum ut sic intelligat alterum, sed quia neutrum potest ab intelligente cognosci sine altero. Quantum igitur hæc duo distant, videlicet vnum ab altero cognosci, & vnum sine altero non cognosci, tantum dissident modus ille primus & hic secundus.

Circa primum modum quo vna persona dicitur esse in alia, vide si placet apud Mol. exemplum de vna & eadem anima rationali per Dei potentiam duas materias inter se diuisas informante; quod tamen verè & simpliciter est impossibile.

Secundum modum explicat S. D. in 1. dist. 19. q. 3. a. 2. ad 1. dicens filium esse in patre, sicut originatum in originante, & patrem in filio sicut originans in originato.

Obicit multa huic doctrinæ Ioannes Rada, Rada obiecit, ut etiam aduertit Ripa, Capr. & Cai. iam ante dissoluerant.

Ff

Ar

ARTICVLVS SEXTVS.

Virum filius sit equalis patri secundum potentiam.

225
E. diff. 20.
ad 1.

AD Sextum sic proceditur. Videtur, quod filius non sit equalis patri secundum potentiam. Dicitur enim Ioan. 5. Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Pater autem à se potest facere. Ergo pater maior est filio secundum potentiam.

2 Præterea. Maior est potentia eius qui precipit & docet, quam eius qui obedit, & audit: sed pater mandat filio, secundum Ioan. 14. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Pater etiam decet filium secundum illud Ioan. 5. c. Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit. Similiter & filius audit, secundum illud Ioan. 5. Sicut audio iudico, Ergo pater est maioris potentie quam filius.

3 Præterea. Ad omnipotentiam patris pertinet quod possit filium generare sibi equalem. Dicit enim Aug.⁸ in lib. 3. cont. in lib. contra Maximinum. Si non potuit generare sibi equalem, ubi est omnipotentia Dei patris? Sed filius non potest generare filium, ut supra ostensum est. Non ergo quicquid pertinet ad omnipotentiam patris, potest filius. Et ita non est ei in potestate equalis.

Sed contra est, quod dicitur Io. 5. Quæcunque pater facit, hæc & filius similiter facit.

Respondetur dicendum, quod necesse est dicere, quod filius est equalis patri in potestate. Potentia enim agendi consequitur perfectionem naturæ. Videmus enim in creaturis, quod quanto aliquis habet perfectionem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo. Ostensum est autem supra, quod ipsa ratio diuina paternitatis, & filiationis exigit quod filius sit equalis patri in magnitudine, id est in perfectione naturæ. Vnde relinquitur, quod filius sit equalis patri in potestate. Et eadem ratio est de spiritu sancto respectu virtutisque.

Ad Primum ergo dicendum, quod in hoc quod dicitur filius, non potest à se facere quicquam, non subtrahitur filio aliqua potestas, quam habeat pater cum statim subdatur, quod quodcumque pater facit, filius similiter facit: sed ostenditur, quod filius habet potestatem à patre, à quo habet naturam. Vnde dicit Hyl. de Trin.⁸ Natura diuina hæc vnitas est, ut ita per se agat filius, quod non à se agat.

Ad Secundum dicendum, quod in demonstratione patris, & auditione filij non intelligitur, nisi quod pater communicat scientiam filio, sicut & essentiam. Et ad idem potest referri mandatum patris, per hoc, quod ab æterno dedit ei scientiam, & voluntatem agendorum, eum generando. Vel potius referendum est ad Christum, secundum humanam naturam.

Ad Tertium dicendum, quod sicut eadem essentia, quæ in patre est paternitas, in filio est filiationis: ita eadem est potentia qua pater generat, & qua filius generatur. Vnde manifestum est, quod quicquid potest pater, potest filius: non tamen sequitur quod possit generare, sed mutatur quid in aliquid. Nam generatio significat relationem in diuinis. Habet ergo filius eandem potentiam quam pater, sed cum alia relatione. Quia pater habet eam vt dans. Et hoc significatur, cum dicitur quod potest generare. Filius autem habet eam vt accipiens. Et hoc significatur cum dicitur, quod potest generari.

Forma Textus.

CONCL. est. Necesse est dicere, quod filius est equalis patri in potestate. Probatur. Potentia in agendo consequitur perfectionem naturæ: ar

A filius est equalis patri in potestate, & eadem ratio est de spiritu sancto. Maior probatur à simili in creaturis, in quibus quanto aliquid habet perfectiorem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo. Minor verò probatur ex dictis supra 2. 7. & 4. quia sc. ipsa ratio diuinæ paternitatis & filiationis exigit, vt filius sit equalis patri in magnitudine, quæ est perfectio naturæ.

Expositio Textus.

AD VERTE propositionem illam: Quando aliquid habet perfectiorem naturam, tanto est maioris virtutis in agendo: non esse intelligendam de maiori virtute ad omne genus operum siue actionum perfectius producendum, quam ab eo produci valeat, quod minus perfectam habet naturam: sic enim homo cuius natura perfectissima est naturarum omnium animalium, leonem in fortitudine, aquilam in visu, ceruum in cursu, & vulturem in odoratu superaret. Intelligitur ergo dicta propositio de maiori virtute ad operationem absolutè perfectiorem: siue sit eiusdem generis & ordinis cum operationibus ignobilioris nature, siue sit altioris generis & ordinis; sicut homo qui perfectissimam habet naturam inter animantia, maiorem habet virtutem in agendo: cum intellectum habeat & voluntatem, quibus nobilissimas omnium simpliciter exercet operationes intelligendi, diccurrendi, amandi, eligendi & fruendi.

CONTROVERSIA VNICA.

An potentia generandi sub omnipotentia comprehendatur?

PROPONIT hoc quæsitum & definit A. D. de poten. q. 2. a. 5. & 6. Sed quia Vasq. supra diff. 166. & Suar. lib. 4. c. 10. sententia longè dissident à D. Th. necesse est eorum opinionem proposita, ex eiusdem D. Th. doctrina, iniectas argumentorum sordes abluere. Dicunt ergo tres personas esse equè omnipotentes respectu creaturarum extra Deum; quia omnipotentia solum dicitur respectu creaturarum, & habet pro obiecto ens creabile, & ita communiter usurpatur. Et hanc sententiam tribuunt D. Th. & Cai. quem etiam Zumel affirmat supra q. 41. a. 4. dixisse potentiam generandi non importare potentiam simpliciter, sed secundum quid, quæ manifesta est impostura. Dictorum expositionum sententiam sequitur Rada contr. 9. in resp. ad 9. arg.

Hic EA supponenda sunt, quæ supra q. 41. a. 4. & 5. cum S. D. definiuimus. Quibus addendum est ex q. 2. de pot. a. 5. potentiam generandi pertinere ad omnipotentiam patris, non autem ad omnipotentiam simpliciter. Nam paternitas est diuina essentia, prout est in patre, non prout est in filio; cum non eodem modo sit in patre & filio; sed in filio est vt ab altero accepta, in patre autem non; ergo similiter generatio significat actionem Dei, sed prout est patris tantum, & potentia generandi est Dei omnipotentia, sed prout est Patris tantum. Antecedens probatur ibidem; quoniam relationes, quibus personæ adinuicem distinguuntur, sunt ipsæ diuina essentia secundum rem: quæ quamuis rati & spiritibus sit communis, non tamen relatio vnius personæ communis est tribus propter oppositionem relationum adinuicem; nam paternitas est diuina essentia: Nec tamen paternitas filio inest

Sententia
Expositio.

Resoluit.
Potentiam
generandi
pertinere
ad omni-
potentiam
simpliciter
sed patris:
& omni-
potentiam esse
communem
nomen a-
nalogicè di-
ctum, de po-
tentia crea-
turæ, & de po-
tentia gene-
randi: & si
hæc con-
siderari dicitur
Patris &
Scholasticorum
pro-
tunc.

propter oppositionem paternitatis & filiationis. Potest ergo dici paternitatem esse diuinam essentiam prout est in patre, non prout est in filio. Consequenter verò probatur; Quia generatio significat actionem cum aliquo respectu, & potentia generandi significat potentiam cum respectu. Cum itaque duo considerentur in potentia generandi, scilicet ipsa potentia & respectus, vel ordo ad id, quod potentia subiaceret ut obiectum: potentia generandi, ut potentia est, una est in Deo tribus communis, sicut essentia: & idem est cum potentia creandi: hac sola inter eas existente differentia, quod vtrique potentia cointelligitur alius & alius respectus secundum diuersos actus, ad quos potentia referuntur, ut ait S.D. in dicta q. 4. 6.

Deinde considerandum est potentiam aliquam eo minus obiectorum diuersitate distingui, quo fuerit gradus nobilitate sublimior. Sicut sensus communis, aut imaginatio una potentia est respectu omnium sensibilium, respectu quorum distinguuntur sensus proprii. Constat autem diuinam potentiam infinito suae dignitatis gradu supra ceteras omnes potentias eleuari: nulla potest igitur esse actuum differentia, quae diuinam potentiam quo ad ipsam (ut ita loquamur) substantiam, seu quantum ad id, quod est in seipsa, distinguat, ut ibidem ait S.D. ad secundum. Sed quia diuersus cointelligitur respectus in vtraque potentia, scilicet generandi & creandi: idcirco secundum hanc rationem dicitur analogice potentia, de potentia generandi & creandi: & prior est potentia generandi quae creandi, ut ait ibi D.Th. ad 3. q. 4. & 5.

Nominis analogi impositio triplex.

in primo dist. 7. q. 1. a. 3. Et quemadmodum nominibus analogis communibus Deo & creaturis triplex consideratur impositio; Nam primò impositum est nomen ad significandam perfectionem in creaturis primò cognitam: secundò eleuatam mentis acie, ac simili proportionaliter in Deo cognita perfectione, ad eam significandam fuit idem nomen accommodatum: denique fuit idem nomen impositum ad significandam vtramque perfectionem, scilicet creatam & incretam, ut similes proportionaliter: Exempli gratia, nomen scientiae primò impositum est ad significandam certam & euidentem cognitionem intellectus humani: secundò simili proportionaliter in Deo cognitione perspecta eodem fuit nomine designata: tertio ad vtramque scientiam, ut proportionem similem significandam, fuit idem nomen impositum: ita, ut primò scientiae nomen fuerit vniucum ad scientiam omnem humanam, secundò diuinam vnam specie & numero scientiam significauerit, tertio factum fuerit analogum vtrique commune. Sic in proposito nomen omnipotentiae primò fuit impositum ad significandam Dei virtutem ad solius entis creati siue creabilis rationem extensam; deinde, cognita per fidem in Deo personarum emanatione per actiones intellectus & voluntatis, idem nomen impositum est ad significandam vim seu facultatem aut potentiam infinitam diuinæ personae productiuam, quae duplex est scilicet potentia generandi & potentia spirandi: postremò, quoniam haec duae potentiae similitudinem habent proportionalem cum potentia creandi, impositum est hoc nomen potentia & omnipotentia ad praedictas potentias significandas ut proportionaliter similes: adeo ut prima sui im-

Nomen omnipotentiae analogum.

positione potentiae siue omnipotentiae nomen in Deo sit vniucum, & secunda similiter, tertia verò factum sit analogum, ob supradictam causam.

His adde obiectum omnipotentiae esse illud omne, quod non implicat contradictionem, siue illud sit contingens ab intrinseco aut ab extrinseco, siue sit absolute necessarium, siue liberè, siue necessario, & naturaliter producat, ut filius & Spiritus sanctus.

Et ex hoc fundamento bene perspecto patet Sanctorum & Scholasticorum mens & consensus, & vniuersa dilui facile possunt argumenta, quae nobis obijciunt & veritati, Vasquez & Suarez & post eos Rada. Nam quod ait Augustinus in Enchiridio, cap. 96. Deum dici omnipotentem, quia potest omnia, quae vult: intelligendum est de omnipotentia secundum eius primam nominis impositionem, prout scilicet extenditur ad creaturas, ut ait S.D. in dicto ar. 5. ad 2. Et in eodem sensu accipienda sunt verba Fulgentij lib. de fide ad Petrum, cap. 3. dicentis in eo intelligi omnipotentiam Dei, quod omnem creaturam visibilem de nihilo fecit; quamuis etiam dici possit per ea verba non totum obiectum omnipotentiae, sed signum aliquod indicari, ut ait S.D. in dicta respons. ad 2. Et eodem modo plura alia sunt exponenda Patrum & Conciliorum dicta, quae trium personarum vnam esse decernunt omnipotentiam; de ea enim dumtaxat sermo eorum est, ut respicit creaturas. Cum autem ait supra Caiet. q. 41. a. 4. potentiam generandi non affirmare potentiam, sed potentiam sic, id est, potentiam respectu talis actus, sc. notionalis; non per hoc affirmat potentiam generandi esse potentiam secundum quid, ut accepit Zumellus; est enim potentia simpliciter, quamuis analogice ad potentiam creandi: sed designat specialem modum potentiae sub communi analogo nomine diuinæ potentiae comprehensum, ad quod significandum fuit secundò potentiae nomen impositum.

Doctorem mens. & consensus, & solutio argumentorum. Vasquez. & Rode. Augusti.

Zumelli intelligentia respicitur.

Statuamus igitur, ut firmam hanc ex praedictis illatam CONCLUSIONEM. Potentia generandi ad omnipotentiam Dei Patris pertinet. Nec oppositum intendit S.D. in 1. dist. 7. quaest. 1. art. 1. ubi sic loquitur: Potentia operandi est, sicut potentia rationalis in Deo: & secundum istam potentiam attenditur Dei omnipotentia in Deo: persona enim diuina, quae procedit per potentiam quasi naturalem, non est aliquid connumeratum omnibus. Unde potentia generandi non contrahitur sub omnipotentia. Haec ibi. Quae praedictis non aduersantur, sed maxime congruunt; loquitur enim de omnipotentia secundum primam & magis vsitatam ac vulgatam nominis impositionem.

CONTRA conclus. argumentatur Vasquez. Obi. 1. Primò autoritate Fulgentij superius explicata.

Secundò. D. Thom. quaest. 25. art. 3. in hoc artic. Obi. 2. significat omnipotentiam solum dici respectu creaturarum, & sic communiter vsurpari. Resoluitur in hoc articulo nihil tale significari: supra verò, scilicet q. 26. a. 3. de Deo loquebatur quoad absoluta: & ob eam causam vtitur etiam nomine omnipotentiae, quoad primam tantum impositionem, & magis vsitatam significationem.

Tertio. Eodem modo nunc Deus dicitur omnipotens, sicut dicebatur antequam reuelaretur.

Confirm.

Solut.

ad confir.

Obi.

Solut.

tur mysterium Trinitatis: sed ante huius reuelationem dicebatur omnipotens respectu creaturarum, & nulla cognoscebatur potentia respectu actuum notionalium; ergo nunc eodem modo dicitur. *Et confirmatur*; quia, si omnipotentia acciperetur pro potentia omni producendi aliquid tam intra Deum, quam extra, non apparet, qua ratione possemus dicere omnipotentiam esse in tribus personis; ergo. *Resp.* falsam esse maiorem propositionem simpliciter loquendo. Secundò dico veram esse, si sermo sit de prima nominis impositione, & vulgata significatione, non autem de tota & adæquata significatione. *Ad confir.* negatur assumptum; nam dicimus omnipotentiam esse tribus communem quo ad primam nominis impositionem, & vulgatam significationem, non autem quo ad secundam vel tertiam impositionem.

Contra eandem concl. profert Suar. dicta Conc. Tolet. 6. & 11. & SS. Patrum, Fulg. & Athan. significantia Deum intelligi & nuncupari omnipotentem, eo quòd omnem creaturam de nihilo produxit, & vnā esse trium personarū omnipotentiam. Sed hæc, vt sapè repetiuimus, intelligenda sunt de prima nominis impositione, & conceptione virtute nostri intellectus naturali formata.

Ex dictis patet dictos expositores perperam interpretari verba D. Aug. vt etiam aduertit Ripa.

CIRCA respons. ad 3. disputant hic Torres & Zumel. an in filio sit potentia generatiua? Lege, si vacat Zumel. qui de hac difficultate præ omnibus cumulatè disseruit.

QVAESTIO XLIII.

De missione diuinarum personarum in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de missione diuinarum personarum.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Primò, *Vtrum alicui diuina persone conueniat mitti.*

Secundò, *Vtrum missio sit aeterna, vel temporalis tantum.*

Tertio, *Secundum quod diuina persona inuisibiliter mittatur.*

Quarto, *Vtrum cuilibet persone conueniat mitti.*

Quinto, *Vtrum inuisibiliter mittatur tam filius quam Spiritus sanctus.*

Sextò, *Ad quos fiat missio inuisibilis.*

Septimò, *De missione visibili.*

Octauò, *Vtrum aliqua persona mittat seipsam visibiliter, aut inuisibiliter.*

Ratio ordinis huius Quaestionis, & Articulorum eius.

MISSIO diuinæ personæ temporalis tantum est, vt dicitur in a. 2. huius q. & ideo comparatio diuinarum personarum adinuicem quo ad missionem posterior est earundem comparatione secundum intrinsecam & aeternam, tam absolutam quam relatiuam: de qua disseruit S. D. in precedenti q.

Huius q. quinque sunt partes præcipuæ. In prima tres primos articulos complectente agitur de missione in comuni. In secunda, duobus articulis sequentibus sc. quarto & quinto comprehenditur tractatur in speciali de missione quo-

ad singulas diuinas personas. In tertia, quæ sexto continetur art. disputatur de termino missionis extrinsecò. In quarta, quæ vno etiam absoluitur articulo, agitur de missione visibili. In vltima denique examinatur difficultas ex prædictis emergens, & ad sui definitionem præcedentiūta requirens doctrinam articulorum.

Prima pars in duas distinguitur; in prima declaratur, an sit & quid sit diuina missio. scilicet in 1. artic. in secunda, duo præcipua ad quidditatem missionis pertinentia, scilicet processio originis à mittente, & nouus modus existendi in creatura; quæ duo explicat in comuni in 2. a. sed in a. 3. differit in speciali de nouo modo existendi in creatura.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum alicui persone diuina conueniat mitti.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quòd personæ diuinæ non conueniat mitti. Missus enim minor est mittente. Sed vna persona diuina non est, minor alia. Ergo vna persona non mittitur ab alia.

2. Præterea. Omne quod mittitur, separatur à mittente. Vnde Hier. dicit super Ezech. Quod commun-ctum est, & in corpore vno copulatum, mitti non potest. Sed in diuinis personis nihil est separabile, vt Hil. dicit. Ergo vna persona non mittitur ab alia.

3. Præterea. Quicumque mittitur ab aliquo loco discedit, & ad aliquem locum de nouo vadit. Hoc autem diuina persona non conuenit, cum vbique sit. Ergo diuina persona non conuenit mitti.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 3. Non sum ego solus, sed ego & qui misit me manet.

Respondetur dicendum, quòd in ratione missionis duo importantur: Quorum vnum est habitudo missi ad eum à quo mittitur. Aliud est habitudo missi ad terminum ad quem mittitur. Per hoc autem, quòd aliquis mittitur, ostenditur processio quodam missi à mittente: vel secundum imperium, sicut Dominus mittit seruum: vel secundum consilium, sicut consiliarius mittere dicitur regem ad bellandum: vel secundum originem, vt si dicatur quòd flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mittitur, vt aliquo modo ibi esse incipiat: vel quia prius ibi omnino non erat. quo mittitur: vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non erat. Missio igitur diuinæ persone conuenire potest secundum quod importat ex vna parte processionem originis à mittente, & secundum quòd importat ex alia parte nouum modum existendi in alio. Sicut filius dicitur esse missus à patre in mundum, secundum quòd incepit in mundo esse per carnem assumptam: & tamen ante in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1.

Ad Primum ergo dicendum, quòd missio importat minorationem in eo qui mittitur, secundum quòd importat processionem à principio mittente, aut secundum imperium, aut secundum consilium: quia imperans est maior, & consiliarius est sapientior. Sed in diuinis non importat nisi processionem originis, quæ est secundum æqualitatem, vt suprà dictum est.

Ad Secundum dicendum, quòd illud quòd sic mittitur, vt incipiat esse vbi prius nullo modo erat, sua missione localiter mouetur. Vnde oportet quòd loco separatur à mittente. Sed hoc non accedit in missione diuinæ persone, quia persona diuina missa, sicut non incipit esse vbi prius non fuerat, ita nec desinit esse vbi fuerat. Vnde talis missio est sine separatione, sed habet solam distinctionem originis.

Ad Tertium dicendum, quòd obiectio illa procedit de missione, quæ sit secundum motum localem, quæ non habet locum in diuinis.

Sena

236
1. diff. 15. q.
1. d. 1. q.
4. cont.
6. 23. cor. 2.
6. 24. 14.
issione 2.

hil. 7. de
Tri. non
procul à fi-
ne lib.